

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Dissertatio Theologica de Viribus humanae naturae**


**Hafenreffer, Matthias**

**Faber, Friedrich**

**Tubingae, 1610**

**VD17 VD17 23:324532Z**

[urn:nbn:de:bsz:31-128758](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-128758)



60A 2690 R

Sum  
M. Caroli.

Dissertatio

T H E O L O G I C A,  
D E

Viribus humanæ naturæ,

*Qua per Quatuor hominis status, doctrinæ Evangelicæ demonstratur  
Sanitas: argumentationis Bellarminianæ monstratur vanitas:  
Calviniana quoq; absoluta infirmatur  
necessitas.*

Ipso Spiritu Dei Sancto Informante.

Conscripta,

E T

S V B P R Æ S I D I O,

DN. M A T T H I A E H A -  
F E N R E F F E R I, S S. T H E O L O G I A E  
D O C T O R I S E I U S D E M Q U E I N C E L E B E R R I -  
ma Academia Tubingensi Professoris celeberrimi, Prae-  
ceptoris sui observanter colendi.

*Ad disquisitionem Scholasticam diebus <sup>16</sup> 9. & <sup>17</sup> 10. Mar-  
tii in Aula nova publicè instituendam.*

P R O P O S I T A

à  
M. Friderico Fabro, Stetinensi  
Pomerano.

S. Apostolus Paulus 2. Corinth 13. 5.

*Vosmetipsos tentate, si estis in fide: ipsi vos probate, Annon  
cognoscitis vosmetipsos?*



Tubingæ, Typis Cellianis.


M. D C. X.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

20

Handwritten text on the right edge of the page, including a large initial 'Y' and various words.



ILLVSTRISSIMO

& Celsissimo Principi ac Domino:

D. N. PHILIPPO II.

DUCI STETINI POMERANIÆ,

Cassubiorum & Vandalorum, Principi Rugiæ, & Comiti

Gutzkoviæ, Domino in Lavenburg & Burthovv.

Domino suo Clementissimo

Gratiam & pacem Iesu Christi precatur.



Vlti verè pii, Illustrissime, Celsissimeq; Princeps, Domine Clementissime, perosi omnem actum annorum suorum, hoc de se testimonium dixerunt; quòd æternam vitam, & divinæ gloriæ visionem optent: Dei agnitionem laudent; eamq; omnibus bonis suis præferant. Huiusmodi pia piorum vota, sunt reparata Spiritus divini flammæ, quæ hominem in agnitione Dei

Colof. 3. 10.  
Ioh. 17. 3.  
Ioh. 4. 14.  
2. Cor. 4. ult.  
conditum esse, abundè satis attestantur. Accedit vox suavissima Christi, qui Dei Consiliarius, quàm aptè agnitio Dei, & futura beatitas, omnibus partibus suis consentiant, ex sinu Patris enarravit. Hæc est, inquit vita æterna ut agnoscat te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Quæ Salvatoris verbatim saluberrimæ suavitatis & suavissime salutis præbent aquam, ut omnes verè Christiani, haut parum dulcedinis, inde percipiant. Ecquis igitur Dei cognitionem non exoptaret? quis non laudaret? quis non omnibus bonis suis præferret? Exeat hinc, & pereat Epicuri emulus, qui ad popinam dentibus, & ventre, & ore non contentus, oculis quoq; gulosus, huius sæculi voluptate, quasi æstro percitus, Spiritualia futuri sæculi gaudia ne assisfecerit. Beluinus ejusmodi affectus quantoperè detestandus est, tantò re-  
Elius fideles in sublimitate æternæ gloriæ pondus, non, quæ videntur, sed, quæ non videntur, contemplantes, ad Dei cognitionem piè aspirant. Quippe omnes sani homines, vel lege natura sibi persuaferunt & perhiberunt, id maxime cognoscendum, q. sublimius. Quod a sublimitatis fastigiū Deus non exuperat?

## EPISTOLA

Exod. 33. v.  
20.

Profecio, appetere Dei noticiam debemus, optare possumus: faciem divinae gloriae contemplari, & comprehendere defecimus. Sane ita est. Non nihil annitimus, ut enitamus: Quo vero ductore utimur? ut perficiamus. Dicam: Invisibilia de Deo per creaturam visibilem manifestari, ex Apostolo

Rom. 1. 20.

1. Cor. 13. 12.

id, quod ibi de facie ad faciem, sepositis jam aliis creaturis, unicum in hominem oculos nostros defigamus, ut hanc creaturam; subministratum hoc lucis divinae speculum intuentes. Dei gloriam contemplari: mystica & subtiliora, admirari queamus. Hoc in Dei creatoris speculo, imago est duplex. Terrestris: Coelestis. Terrestris quae etiam animalis dici potest, quae, ex terrestri Luce naturali cuiusvis sane mentis homini commata, patet, umbram refert geminam. Altera harum ignobilior & terrea, est Corpus; altera nobilior & ignea, est Anima. Corporis optima structura, indicat Opificis optimam naturam? In Corpore membrorum elegantia, notat conditoris immensam prudentiam. In corpore nervorum, musculorum, venarum, arteriarum harmonia, & subtilis proportio demonstrat, in factore Deo iudicii divini & voluntatis consensionem simplicissimam. Anima, pars ignea & subtilior, divini Spiritus radius, Spiritualem Dei gloriosi refert essentiam, & admirandam creatoris ostendit sapientiam. Quid ipsa hominis ratio? naturam in Deo, & sydereo & quovis splendore caelesti fulgentiorem commendat. Quid animula, quae etiamnum labe corporis, & sordibus sensuum quasi obrupta, primae illius puritatis subfiliens quosdam igniculos commonstrat? Opificis Iehova purissimam simplicitatem, & ab omni lentoris contagio secretam, haec ortus sui vestigia altere retinens, clare demonstrat. Quid conscientia stimuli? divini iudicii particulae sunt: etiam in perfrecte frontis hominibus cogitationes inter se invicem accusantes. Tegi scilicet urens illa flamma potest, non extinguit: premi illa virtus potest, non opprimit. Tanta est excellentia creaturae! quanta praeeminentia creatoris? Tanta hominis dignitas! quanta Dei erit majestas? Tanta flamma Spiritus finiti! quantus splendor Spiritus infiniti? Imò in maximis ignorantie tenebris has primi ignis scintillantes reliquias humana mens prodit: quosnam divina mens, (quae recti iudicii, recti consilii, fons & fcaturigo) splendidissimos, quibus omnia circumfunduntur creata, emittet radios? Maxime si speculum hoc nostrum ex sordido naturae depravatae lumine, ad clarissimam divini verbi lucem protraxerim, oculis spiritui & gratiae Dei depurgatis, inspicatur. Etenim, quicquid hactenus vidimus, & quicquid de Iehova cognovimus, coniage cecitatis carnalis infectum est: at tamen, quum usilem,

D E D I C A T O R I A .

jucundamq; in intellectu nostro de Deo pariat cognitionem, hae meditatio nostra, ut utilis & jucunda; iam de imagine terrestri, ex terreis natura principis desumpta, nobis sufficiat. Verum cognitio Dei salutaris, & gloriosa, ex imagine caelesti promanat. Coelestis itaq; iam succedat, imago, qua Spiritualis dicitur. Hec est illa, qua revelatur ex sinu Patris, quam offerre visui nostro igniculi naturales nequaquam possunt! Hec est illa species representata, quam ex verbo Dei, Spirituali & caelesti lucerna, unice intellectuam apprehendimus! Hanc nobis, Codex Sacer talibus lineamentis effigiatam proponit: Homo ad imaginem & similitudinem Dei conditus est. Primus homo in sanctitate unitatis, & veritate sanctitatis, in iustitia secundum Deum creatus est. Ecce! Homo sanctus; homo verus; homo iustus. Quidni maxime creator sanctissimus? verissimus? iustissimus? Quot enim pars sanguis infinitum finito, increatum creato; tot prae, & tantum, praecellit hominis sanctitati. Dei sanctitas; hominis veritati, Dei veritas; hominis iustitia, Dei iustitia. Humana gloria laudabilis; divina admirabilis; humana sensibilis; divina incomprehensibilis; humana iustitia aestimabilis; divina ineffabilis. Homo Dominus animantium: Deus dominator dominantium. Homo animantium naturas intelligit, nomina imponit: Deus, ut homo possit, eidem spiraculum vitae inspiravit: formas omnibus animantibus impressit: omnia animalia creavit. O eximiam iudicii humani concreati perspicacitatem! O immensam sapientiam divinam profunditatem! Illibata hominis primi castitas: Invariata divinae mentis sanctitas. Omnium affectuum sensuumq; consentiens in primo homine puritas: Simplicitissima voluntatis in Deo unitas. Optima in homine voluntatis sanitas: Perfectissima in Deo libertas. Itane? mens pia & fidelis, Deum creatorem tuum, omnipotentem sanctissimum, verissimum iustissimum, dominum gloriosissimum, sapientissimum, castissimum, purissimum, liberrimum, duce Scriptura, ex homine (unica ac creatura) ejusq; intuitu, discis & percipis? Nunquid egregia nostri, cum Dei noticia, affinitas? Nonne major & verè Christiana ex tali nostri ipsius contemplatione, & cognitione utilitas? Sat scio, fidelis homo non negabit: quin & uberiorem intelligentiam si in hac cepta meditatione perrexerit, inventurus sit. Quippe referente Scriptura Sacra, gloriam concreatam homo primus perdidit: cognitionem Dei, in qua creatus erat, amisit. Vnde homines iusti inobedientes, facti sunt iniusti. Deus creando fecit hominem mundum: homo mundus prevaricando fecit se immundum. Quam ob malitiam Iehova iratus, quem creando fecerat immortalem; puniendo declaravit mortalem. Itaper peccatum Mors intravit. Per iram, peccatum (stimulus mortis)

Matth. 16. vers. 17.  
Gen. 1. 26.  
Eph. 4. 24.  
Gen. 1. 28.  
Apocal. 17. 14.  
Gen. 2. 20.  
Gen. 2. 7.  
Rom. 5. 19.  
Gen. 3. 7.  
Rom. 5. 12.  
1. Col. 15.  
56.

EPISTOLA

- Rom. 4. 15. *victoriam de omnibus Adami posteris reportavit. Sic quoq; iratum Deum cognoscimus: ira de omne plagas, peccati poenam, omnes nos ex carne prognati, quotidie sentimus: hinc nulla nulla amplius in viribus nostris divina legis obedientia: & tamen apud Deum iustissimum inobedientia & mali vindicta. Lethalia haec sunt vulnera mortis: adeo factus est homo miserima sortis: adeo homo superatus a peccato, & iniustus a captivus factus est, ut iustitia servus fieri, nec ex se velit, nec unquam, quocumque etiam nixu a malo liberari possit. Quamobrem opus habet Medico: imò is ipse, qui ex iustitia puniendo infligit mortis plagas, ex misericordia sanctorum gratia, peccatores ex iniustitia lacu educit ad regnum iustitiae. Ipse*
- Ephes. 2. 5. *Deus ex gratia remittit peccata, & vult omnium misereri. Ecce Deum esse misericordem cognoscimus: qui tamen misericors est, etiam est, manetque iustissimus. Qua de causa in filio suo, etiam antequam fundamenta mundi iacta sunt, elegit homines. Is ipse filius quotquot Christum receperunt, eis dedit potestatem filios Dei fieri. Sic omnia dicuntur ex Deo, qui nos reconciliavit sibi per Iesum Christum, eumq;, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur iustitia Dei in ipso. Vigore huius decreti, Deus in plenitudine temporis misit eundem filium natum ex muliere. Filius aeternus & Character substantiae Dei, descendit de Caelo: habitu inventus ut homo, in forma servi apparuit: nobis factus similis, tentatus per omnia: obediens factus usq; ad mortem crucis; ut per eius iustitiam & obedientiam nos salvi facti. liberati a servitute peccati, & male ditione legis, novis novae gratiae viribus & dotibus instructi, Deo servire possimus. Haec & similia omnia quae haecenus occasione data ex reparatione hominis, praecunte Scriptura percepimus, quisquis equalitate ponderat, is ad summum mysticae scientiae Spirituales assurgit fastigium; quibus mysteriis additur & hoc: filius Dei, Deus & homo, Deus reconciliator, vocat homines, & colligit ministerio Spiritus Sancti, quo ob signati adoptantur in filios Dei, & sanctificantur. Quoniam Spiritus reddit hominibus doctis*
- Rom. 8. v. 15 & 16. *gratiae amissas, iustitiam, sanctitatem, & veritatem: dono fidei instruit; quo operari in operibus Spiritualibus, & ipsi Spiritui inhabitanti cooperari valeant. Hunc Deum hominis Sanctificatorem aequè agnoscere debemus.*
1. Cor. 6. 19. *Is enim opus bonum Sanctificationis, quod coepit in renatis, perficere vult usq; in diem Iesu Christi. Tunc temporis homo ab omni macula carnis depurgatus, ab omni vitii lentore pure liberatus, purissimus, in iustitia, veritate & sanctitate perfectus futurus est. Quae Dei infinita & abscondita beneficia in verbo ita patefacta, summam Dei perfectionem, Deum*
- Phil. 1. v. 6. *patrem*

DEDICATORIA.

patrem Creatorem: Deum filium Redemptorem Spiritum Sanctificatorem; & cuiusq; persona divine virtutes, ac infinita excellentie dotes nobis reddidere tam illustres, ut fateantur & perpetuo optent omnes verè Christiani, ac exoptent: Vtinam rectè & sufficienter humanam naturam, tam illustre divine essentia speculum, intueri possimus! Magna & utilis est optio: major & salvifica optionis intentio: maxima & gloriosa intentionis ultima perfectio. Cujus optionis, intentionis, & perfectionis suavitate ego allectus hanc de natura humana viribus, juxta normam salutis nostræ, institutam contemplationem aggredi volui. Conatus meo presentis, utpote pio & Christiano, licet augustissimum verbi divini non desit munimentum; attamen ut is ipse humanum quoq; contra obtrectatores, inveniat emolumentum, patrocinium humanum mihi quarendum est. Quod ipsum beneficium, à nullo alio homine rectius petere volui: à nullo tam promptè impetrare me posse semper credidi: ac deniq; apud nullum, hoc maxime seculo, commodius querere debui, quàm apud V. Illustris. Principis, Domine Clementissime, Celsitudinem. Vestrum generosissimum pietatis, ac illustrissima clementia affectum compello. Vestram augustissimam tutelam precibus humillimis, huic meo Sacri studii tentamento, quæro, imploro & impetrare cupio. Quemadmodum autem, hanc petitionem summa extorsit necessitas ita ad humillimum erga Patrem Patriæ obsequium cogit ipsa pietas; quum ipse Iehovah Princeps populi, Deos appellatæ, ut summo honoris titulo, officii maiestatem exornaret ac propalaret. Dei hæc vox cor meum ferit, meq; totum ad cultum humanum summum summa cum subiectione præstandum, adeo usq; impellit, ut eum ipsum meum humillimæ reverentiæ affectum, me contestatum reddere posse, ex animo gestiam. Quod minus aptè possim magnæ tenuitatis est: quod tanto Principe dignum obsequii *συμβολον* non inveniam, infortunis: quod tamen aliquid attentare coner, humillimæ & debite gratitudinis est. Magna quippe V. Celsitudinis, & publica exstant beneficia, præsertim in parentem meum venerandum senem D. Iacobum Fabrum, quem V. Cels. singulari & pia clementia, in summo hoc senio fovet, cui totius Pomeraniæ Orientalis Ecclesiasticam inspectionem demandavit, & pietatis ministerium administrandum, ac dirigendum commisit. Quapropter Illustris. Princeps, Domine Clementissime, V. Celsitudini presentem hanc meam dissertationem Theologicam pro mea tenuitate, ex fundamento salutis nostræ collectam atq; conscriptam commendo & offero, qui labor exiguus, ut V. Celsitudini sit acceptus, opto rogòq; simul ac humiliter oro, ne Illust. V. Clementia meū studium, me meosq; clementer fovere & promovere dedignetur, quin & clementis, amorē, quem erga parentē meū, aliosq; bonos concepit, in me quoq; meaq; studia deriveret

Ego

Psal. 81. 1.


EPIST. DEDIC.

Ego quicquid in me est, precibus assiduè apud Iehovam omnis boni largitorem, hoc totus ago, quo Celsitudo V. cum tota illustrissima domus Pomoranica familia, in omni felicitatis affluentia & benedictione, patria nostra diutissimè præsit, ac tandem pro divino beneplacito vincat, atq; in thronum Patris cœlestis eveheta, cum Christo Domino glorioso, gloriose triumphet & letetur Amen. Tübingæ Charitatorum Cal. Februarii. Anno, HoMo agnitione Del perficli Vr.

V. Illustrissimam Celsitud. humil-  
limè colens

Fridericus Faber.

Differ.



# Differtatio Theologica

D E

VIRIBVS HVMANÆ

NATURÆ PER OMNES

quatuor status.

T H E S I S I.



Agnus Apostolus omnes Christianos ad industriam diligentiamque hortatur, hoc modo: *Nescitis, quod hi, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit braviū? Sic currite, ut comprehendatis.* 1. Cor. 9. v. 24. Qua in admonitione; & consilium; & mandatum occurrit: utrumque, quid nostri officii sit, commonstrat. Illud quidem, ab exemplo cursorum depromptum, nos in hac militia Christiana (in qua militamus DEO: & aliās milites Christi dicimur, 2. Tim. 2. v. 3.) cursores esse suggerit. Hoc diligenter, & fideliter nos currere jubet. Quod ipsum mandatum Apostolus idem, 1. Tim. 1. v. 18. repetit his verbis: *Hoc preceptum commendo tibi, ut milites bonam militiam, retinens fidem, & bonam conscientiam.*

2. Sumus itaque cursores; sumus milites Christi; currere jubemur in stadio nostro, in militia spirituali. Quis verò cursor, milesve præsumitur? Is profectò, cui vires currendi, cui animus, roburque militandi minimè deficiunt. Nam ineptus omnium sapientum calculo pronunciat is, qui aream currendi,

B

vel

vel militandi nullis viribus instructus, iisque secum non ponderatis, temerè ingreditur, in eaque se versari posse, autumat.

3. Quemadmodum autem improbanda foret istiusmodi, sive imprudentia, sive temeritas: ita maximoperè laudanda ea Christianæ prudentiæ virtus, & industria, qua ad examen virium suarum, quivis cordatus rectà pergit: idque ex sententia *D. Augustini, qui in præfat. lib. 4. de Trinitate ita docet. Si, qui vñ de seav)òv diligenter perpendunt, & suæ sunt conscii infirmitatis, rectius faciunt, quàm qui rerum naturas, & motus, & distantiasq; siderum metiuntur.*

4. Hujus prædictæ militiæ nostræ nos memores Augustini hanc admonitionem usque adeò non contemnimus, ut vel operæ pretium facturi nobis videamur; si de viribus, & dotibus humanæ naturæ acturi, ea inquiramus, & proponamus, quæ in scripturis sacris revelata sunt; simul ac ex fontibus Israëlitis eam saluberrimam doctrinam hauriamus, cujus beneficio; [1.] Bonitatem creatoris agnoscamus ex excellentia hominis primitus creati: [2.] Nostram miseriam deploremus in servitute peccati: [3.] Ineffabilem JEHOVÆ misericordiam in restauratione virium, & libertatis amissæ imploremus & celebremus; [4.] Et tandem in meditatione perfectionis promissæ & futuræ, glorificemus.

5. Ex his omnib' modò prælibatis elucet, quodnam nostrum institutum primariū futurum sit: nimirum nos hac in Disputatione maximè locuturos, de iis humanæ naturæ viribus, quibus cultus Divinus, in cognitione DEI salutari, & obedientia pia erga creatorem, ad regulam voluntatis Divinæ præstari debebat. Excluduntur hîc penitus eæ facultates, quæ homini cum brutis sunt communes, utpote quæ ad humanam naturam, quatenus intelligens & rationalis est, & rationales exerit virtutes, legique divinæ subditur, minus appositè reducerentur.

6. Versamur adhuc in maximè generalibus. Specialia antequàm adoriāmur, præmittenda nobis quædam sunt, & explican-

applicanda, quæ postmodum suum usum invenient. Præparatoria hæc, contemplatione LIBERI ARBITRII in genere, ejusque vocis, qua exprimi solet, absolvi poterunt. Vocem hanc (LIBERVM ARBITRIVM) in Scripturis syllabatim non reperiri minime diffitemur, ipsam tamen ex Scriptura extractam esse, jam breviter comprocatum habemus.

7. Noster Salvator dicit Joh. 8. v. 36. *Si vos filius liberaverit, verè liberi eritis:* hoc ipsum repetit, & aliquoties inculcat Apostolus Rom. 6. 17. & v. 20. & ait, *Ipsa Creatura liberabitur à servitute corruptionis in libertatem gloria filiorum DEI.* Rom. 8. 21. & 2. Cor. 3. 17. hinc in omnibus, & singulis locis, vox LIBERI, seu LIBERATIONIS inseritur. Consimiliter, quando Apostolus docet 1. Corint. 7. 37. *Qui autem statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem potestatem autem habens sue voluntatis* (ἐξουσίαν ἢ ἐχὼς πρὸς τὸ ἰδίῳ θελήματι) hominem habere judicium statuendi, & ARBITRIVM propriæ potestatis; & sic nec vocem ARBITRII à Scriptura alienam esse, in propatulo est.

8. Quum autem geminata sit vox, quæ titulum hunc exprimit, nempe LIBERVM ARBITRIVM, non absque ratione hoc fieri videtur, quæ, ut antiquitati quoque placet, hæc est: Duæ sunt potentie animæ humanæ, intellectus & voluntas, prout jam habet pro subjecto, intellectum, dicitur ARBITRIVM. Nam rationis, & intellectus est, res contrarias cognoscere, judicare & dijudicare, num verum, vel falsum; num bonum, vel malum sit, quod proponitur: Et sic facultas judicandi, ac cognoscendi, dicitur ARBITRIVM; eò quod mens monstrat voluntati objectum eligendum, aut repudiandum, ex qua contrariorum cognitione resultat potestas judicandi, non determinata ad unum, qualis est naturalis, & brutis communis; sed ARBITRARIA, quæ arguit libertatem ratione fundamenti.

9. Deinde, quoad inhaeret voluntati tanquam subjecto, & est in ratione appetente & volente, dicitur LIBERVM. Nam

voluntas immunis ab omni coactione, liberè id, quod ab intellectu propositum fuit eligendum, appetit, vel liberè averfatur. Unde voluntas propriè & formaliter libera dicitur, imò liberri-  
ma, quippe quæ cogi nequeat.

10. Adstipulantem hîc habemus extra controversiam, summum in hoc articulo Ecclesiæ Doctorem Augustinum, qui 3. *ὁμολογίας*. ita differit. *Arbitrium ab arbitrando, rationali consideratione, vel discernendo, quid eligat, quidve recuset, puto quod nomen acceperit. Et ideo liberum dictum, quod in sua potestate positum sit hujus agendi, quid velit, possibilitatem.* Suffragatur quoque huic opinioni M. Sententiarum P. Lombardus, qui lib. 2. dist. 24. scet. ita habet. *Liberum arbitrium est facultas rationis & voluntatis, qua bonum eligitur gratia assistente, vel malum gratia desistente: Et dicitur liberum, quantum ad voluntatem, qua ad utrumlibet flecti potest. Arbitrium verò quantum ad rationem, cujus est facultas, vel potentia illa, cujus etiam est discernere inter bonum & malum.*

11. His præmunitis, talem in generali consideratione ex dictis extruimus descriptionem. Liberum arbitrium est facultas mentis cognoscendi & judicandi rectè: & voluntatis liberè eligendi, vel averfandi, quod à mente propositum fuit.

12. Examinabimus breviter membra descriptionis positæ, quod antequam fiat, non contemnenda est hæc cautela: quando quæstio est DE TOTO LIBERO ARBITRIO, accuratè tenemur discernere inter *virtutem, efficacitatem, & divinum* voluntatis humanæ, & inter ipsam naturam voluntatis, seu ipsam voluntatem. Proinde sciendum. Natura voluntatis humanæ (*hæc vox*) includit tam ipsam substantiam voluntatis (*principium & potentiam volendi*) quàm naturalem & essentialem proprietatem (modum aliquem) quæ proprietates voluntatis hæc est, ut quicquid vult, sive bonum, sive malum sit, illud nunquam non velit liberè. Alia longè ratio est, quando de viribus, seu virtute superaddita sermo est. Virtus enim nobis est eiusmodi in-

di insita, & donata potestas, qua possumus, tam mente intelligere & iudicare, quæ verè sunt bona, & verè mala, quàm voluntate, bona appetere, & mala liberè respuere.

13. Quàm aptè igitur, in descriptione nostra TOTIVS LIBERI ARBITRII, dixerimus, non esse ipsam voluntatem, seu intellectum; sed FACULTATEM, voluntati & intellectui, tãquam subjecto, inhærentem, omnium obversatur oculis. Nec simpliciter & indeterminatè, facultatem diximus, quin potiùs addita sit restrictio hæc: esse facultatem talem, quæ in intellectu cognoscat rectè, quid bonum, quidvè malum; in voluntate eligat, & appetat bonum, respuat verò malum. Nam vera & integra libertas, non fundatur in eo, quòd se saltem habet indifferenter ad objecta, sed ut Bernhardus vult de grat. & libero arbitrio: *Nemo putet idèò dictum liberum arbitrium, quod æqua inter bonum ac malum potestate aut facultate versetur* (alioquin nec DEVS, nec Angeli, dicerentur esse liberi arbitrii) sed ex eo potiùs dicitur LIBERVM ARBITRIVM, quod sive in bono, sive in malo, æq; liberam facit voluntatem.

14. Et si liquidò constat, ipsam nudam libertatem, non esse ipsum LIBERVM ARBITRIVM; sed esse proprietatem, insitam voluntati naturalem: cui accedit facultas, qua perficitur, in intellectu ad cognitionem boni, eiusque discretionem à malo; & in voluntate, ad electionem veri boni, & rejectionem mali, quæ facultas dicitur vera libertas, & humane nature virtus; estque ab ipsa substantia voluntatis (non tamen absque deploranda depravatione) separabilis. Etenim, in ipsa voluntate, aliud est bonum naturale Physicum; aliud bonum morale. Libertas, est bonum voluntatis naturale, & proprietas Physica. Integra, & vera libertas, tam à bono, quàm à malo, est bonum morale. Ut, intelligere verum, est bonum Physicum; intelligere verò rectè, & iudicare verum morale, est bonum Ethicum. Utrumque tamen est nature humane in sese (ita ut primitus à DEO creata est) considerata, naturale, quatenus naturale opponitur supernaturali,

quia simul cum natura perfecta est inditum ab ipso optimo & perfectissimo creatore: Huc referatur etiam illa distinctio, *alia voluntas ipsa, alia voluntatis sanitas est.*

15. Meritò hinc discedimus à Bellarmino, quando is ab Augustino lib. 3. de grat. & lib. arbitrio, cap. 3. discedit, nec asserere erubescit, *Liberum arbitrium esse ipsam voluntatem.* Qui error dupliciter impingit; cum primùm ipsam libertatem (quæ tamen commodè distinguitur ab ipsa substantia voluntatis, ut naturalis, & essentialis proprietas à suo subjecto.) Deinde etiam, ipsam virtutem (quæ cum libertate concurret, & voluntatem perficit) ad bonum verum eligendum, & malum respiciendum, temerè confundat.

16. Breviter: Opponimus Jesuitæ testimonia Sp. Sancti, quæ abundè satis demonstrant, libertatem sanam non esse ipsam voluntatem, utpote, quæ semper manet in homine. *Si vos filius liberaverit, verè liberi eritis* Johan. 8. 36. In hoc dicto Salvator procul dubio de libertate vera & sana loquitur, unde dicit veram libertatem. Quare concludamus hoc Syllogismo contra Jesuitam: Nulla libertas vera est in homine, antequam liberatus fuerit à filio DEI: At voluntas est in homine antequam liberatus fuerit à filio DEI. E. Voluntas non est vera libertas. Propositio est certa ex dicto allegato, ut & ex Apostolo, 2. Cor. 2. 17. Ro. 6. 17.

17. Stat itaque Sententia, & perstat immota veritas: **LIBERVM ARBITRIVM** in specie & propriè, sive, *ut Spiritus Sanctus loquitur, pro VERA LIBERTATE;* & ut Bernhardus, *pro libertate tam à bono, quàm à malo sumptum* non esse voluntatem, nec nudam libertatem, sed esse facultatem, & virtutem, voluntatis & intellectus, quæ libertatem ita perficit, ut sit **VERA LIBERTAS.** Nam libertas nuda tantùm est apparens & imperfecta; siquidem bonum, vel malum, à quibus libera est eiusmodi, non est verum bonum, sed apparens, quemadmodum si quis liber est à legibus, & peccatis servit, talis licentia est splendida servitus, & quidem spontanea, sed non verè libera.

18. Hæc

18. Hæc, quæ modò dicta sunt, si quis rectè consideret, non obscurum erit, quomodo voluntas dicatur libera, quæ tamen non possit non peccare. Quippe libertas est à coactione, sed non à necessitate, quæ tamen est ex *umbéor*. Sicut intemperans, ex habitu vitioso, non potest non esse intemperans, & tamè liberè peccat, quia à nemine cogitur, & spontè rectius peccare dicitur. Emicat ex his error eorum, qui hominem non liberè peccare, sed cogi ad peccatum colligunt ex eo, quod Orthodoxi infidelem hominem non posse non peccare, & non esse liberum à necessitate peccandi ipsum peccatorem, affirmant ex Scripturis: Quia homo spontè peccat, & spontè servit peccato, non ex quadam absoluta, & Stoica necessitate, sed ex hypothesi. *Sunt enim coinquinata mens, & conscientia hominis infidelis.* Tit. 1. v. 15. Quamobrem ut iudicat malè, ita malum præ bono eligit, & perpetuò malum operatur *ex mentis cæcitate* Ephes. 4. 18. *& ex aberratione à circumstantiis præcepti in vaniloquium.* 1. Tim. 1. 7. quod malum totum ex interno motu: à nullo externo impulsus homo operatur, spontaneo conatu.

19. Quod ut rectius percipiatur, accuratè & diligenter inter SPONTANEVM & LIBERVM, & inter COACTVM & SERVVM distinguendum erit. SPONTANEVM dicitur, quod habet internum motus principium, & ultrò se flectit, quocunque per internum motum allicitur, non autem trahitur; & opponitur propriè COACTO: sic spontè bruta surgunt, cubant, &c. LIBERVM propriè sumptum opponitur SERVO, ut libertas servituti, & dicitur LIBERVM id, quod habet in sua potestate utrumque oppositorum, & nulli servit, nulli obligatur. SERVVM est, quod tenetur captivum, & servitus est in potentia libera, talis corruptio internarum appetitionum, ut nihil aliud quàm malum, quod mala interna concupiscentia suadeat & velit, velle & agere possit, id tamen spontè ex interno principio suasionis, & electionis agit. V. g. Avarus, qui est servus Mammonis ex habitu, quando est avarus, non potest non avarus esse, id tamen

men,

men spontè facit, & spontè servit pecuniæ cum voluptate singulari: & hæc servitus propriè opponitur libertati, quæ liberè circa liberalitatis objecta (pecunias) occupatur. COACTVM est idem quod invitum, quod extrinsecus, ex motus principio externo, impulsus, non autem ex interiori motu suasionis, vel appetitionis, movetur & fertur.

20. Hac generali de LIBERI ARBITRII indole genuina præmeditatione, & ἐπιπαρόδῳ, discursu peracto, cuius obviu erit, vires humanæ naturæ non uno eodemq; modo semper considerari posse, cum amitti possint, & amissæ sint, cumque restituantur, & perficiantur. Occurrunt itaque status humanæ naturæ in hac consideratione virium, quatuor. 1. INTEGRITATIS ET INNOCENTIÆ: qualis cum suis dotibus à DEO condita est. 2. CORRUPTIONIS ET SERVITVTIS: qualis humana natura, legem DEI prævaricando, facta est. 3. REPARATIONIS: qualis humana natura in hac vita per Christum liberata est. 4. STATUS PERFECTIONIS: qualis in altera vita, per inchoatæ libertatis complementum, futura est. De omnibus & singulis secundum circumstantias ex verbo DEI agemus.

21. In statu integritatis primæ, quàm excellentes, & præpotentes fuerint humanæ naturæ dotes & vires, vel exinde liquet, quod homo ad imaginem DEI conditus, & ad similitudinem eius creatus fuerit Gen. I. v. 24. & v. 28. Hanc per cognitionis gradus contemplabimur primo loco. Et quidem imago DEI à Spiritu S. per vocem similitudinis in Scriptura exprimitur, ut omnibus constaret, certò talem fuisse hominem primitus creatum, ut in ipso imago similis creatori sapientissimo & sanctissimo cerneretur.

STATUS PRIMVS.

PRIMA QVÆSTIO.

AN IMAGO DEI, AD QVAM HOMO CONDITVS EST, FVERIT IPSA SVBSTANTIA, SEV ipsa natura humana.

Bellarminus

*de viribus humana natura.*

22. Bellarminus libro de gratia primi hominis cap. 2. *asserit imaginem DEI de ipsa natura humana: similitudinem vero de virtutibus, & viribus humana natura accipiendam esse: unde elicit, Adamum peccando, non imaginem DEI, sed duntaxat similitudinem, perdidisse.* Hæc sententia quàm sit sana, modò manifestum erit.

23. Dicit Dominus: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Gen. 1. v. 26. Vox similitudinis duplicem nobis hac in re exhibet usum. Alterum; rectè sentiendi de imagine DEI in homine, ne fiat periculosa confusio imaginis DEI hoc in loco, & imaginis DEI consubstantialis, cuius fit mentio 2. Cor. 4. 4. Illuminatio Evangelii gloriæ Christi, qui est imago DEI. Nam non ipsa imago DEI homo dicitur, sed ad imaginem & similitudinem DEI factus. Alterum; non dubitandi, nec hæsitandi, quænam vera sententia sit, quum ipsa ratio imaginis DEI multiplex excogitari queat. Nam similitudinis ratio, rei expressæ congruentiâ & conformitate cum Archetypo pensatur. Quare hæc vera causa erit, ob quam homo ad imaginem & similitudinem factus dicatur; quia non omnis imago (ut si Artifex in exprimenda illa erraverit) similis est prototypo, ea jam limitatur addita voce similitudinis, nimirum talem fuisse hominem primitùs creatum, ut in homine imago similis creatori conspiceretur, nec tantùm ad hanc vitam, sed maximè ad immortalem statum ita conditum, ut in ipso tanquam speculo Sanctitas & Justitia Divina repræsenteretur.

24. Quo minus autem hîc aberremus à veritatis regula, accuratiori consideratione hanc ipsam imaginis DEI in homine contemplationem adoriamur oportet. Optima ratio investigandi erit, ut verbo divinitùs revelato unice adhæreamus, & ex reparatione, & restitutione imaginis amissæ, quid de ea sentiendum sit, addiscamus. Ipsam hanc restitutionem hunc in modum describit Apostolus Col. 3. 9. *Nolite mentiri invicem exspondentes veterem hominem, cum actibus suis, & induentes novum,*

C

vum,

vum, cum qui renovatur in agnitionem DEI secundum imaginem eius, qui creavit eum. Ephes. 4. 23. Renovamini spiritu mentis vestre, & induite novum hominem, qui secundum DEVM creatus est, in justitia, & sanctitate veritatis. Audimus hic ex ore Apostoli, consistere imaginem DEI in justitia, in sanctitate veritatis, in agnitione DEI, quæ amissa sit, quæque reparetur in renatis, quæ etiam renovatur de die in diem. 2. Cor. 4. 16.

25. Indubitatum igitur esse debet non ipsam substantiam, seu humanam naturam, esse in imaginem DEI, sed similitudinem in justitia & sanctitate veritatis; Ex qua exurgit in intellectu lux & agnitio DEI; in voluntate conformitas cum lege DEI, quæ tam excellens humanæ naturæ concreata proprietas, non in essentiæ similitudine, sed in qualitatium perfectione reluxit, ex qua homo habuit integram libertatem cognoscendi & discernendi bonum à malo, & eligendi bonum, & respuendi malum, & hanc facultatem liberam homini fuisse inditam à DEO in bonum finem, certum est ex eo, quod Apostolus dicit, quod secundum DEVM creatus sit in justitia & sanctitate. Eph. 4. 23.

26. Bellarmino imaginem DEI pro natura ipsa humana assumpti, & quòd imaginem DEI homo non perdiderit, affirmanti opponimus hunc Syllogismum. Imago DEI non est in veteri homine ante regenerationem. At humana natura est in veteri homine ante regenerationem. Ergò, Natura humana non est imago DEI, & imago DEI est amissa. Propositio est Pauli. Quia renovatur imago DEI in novo homine, & per hanc imaginem novus à veteri homine distinguitur, ut Apostolus latius deducit. 2. Cor. 4. 16. Is qui foris est noster homo corrumpitur, is qui intus est secundum imaginem DEI renovatur. Assumptio est certa. Nam quis negabit hominem infidelem ante regenerationem habere humanam naturam? hominem diceret non-hominem.

27. His ita præsuppositis affirmamus. IMAGO DEI EVIT IN INTELLECTU INTEGRITAS, hoc est, concreata cogni-

cognitio DE I (secundum essentiam & voluntatem) qualis homini sufficit in hac vita: IN VOLUNTATE CONFORMITAS cum lege & voluntate DE I; item harmonia in affectibus cum iudicio rectæ rationis, & tamen fuit homini concreata libertas avertendi se à sancto & iusto proposito. Nam voluntariam, & liberam eiusmodi obedientiã requirebat DEVS à creatura rationali.

28. Examinabimus per membra hanc integritatis, seu imaginis divinæ delineationem: Quod diximus IN INTELLECTU fuisse agnitionem DE I secundum essentiã, & voluntatem, id ex Apostolo Col. 3. 10. hausimus, ubi ait: *Novus homo renovatur in agnitionem secundum imaginẽ eius, qui creavit eũ.* Et Eph. 4. 23. dicitur conditus *in iustitia & sanctitate veritatis.* Quid a. sit sanctitas veritatis cuiusvis Christiano quàm notissimum est, nimirum salutaris DE I, essentiæq; & voluntatis divinitus patefacte cognitio, quæ quum omnib<sup>9</sup> numeris in hac vita perfecta esse nequeat, talẽ & tam integram, quam hæc vita requirit, dicere debuimus.

29. IN VOLUNTATE conformitas cum lege DE I, quam assignavimus, deprompta est itidem ex Apostolo, Eph. 4. 24. ubi ait, *hominem conditum fuisse secundum DEVM in iustitia.* Iustitia quid est? Conformitas cum lege (quæ lex est voluntas DE I, Rom. 2. 18.) *Nam factores legis, justificabuntur.* Rom. 2. 13. Rom. 9. 3. Gal. 3. 22. quemadmodum *in iustitia est prævaricatio legis contra voluntatem DE I,* Rom. 2. 23. & est *ἀνομία,* peccatum, quod recedit & repugnat per inobedientiam legi divinæ. I. Joh. 3. 4.

30. In hac ipsa voluntate, in qua erat iustitia, seu conformitas cum lege, & voluntate DE I, erat LIBERTAS tanta, ut non solum nihil velle posset NOLENTE VOLUNTATE, verum etiam tantis viribus fuit homo instructus, ut prævaluisset (si maluisset) non peccare, & in Iustitia concreata perseverare. Fuit igitur libera voluntas hominis non modò nuda libertate, quæ est in indifferentia ad objecta, sed simul vera & integra libertate ab omni coactione & necessitate libera, tam à bono, quàm à malo, ut liberè, tam bonum, quàm

malum, appetere, & ob rectitudinem mentis & voluntatis (modo voluisset) in bono perseverare, & semper malum repudiare, bonumque approbare potuerit. Quod ipsum volunt testimonia sacra, quæ perfectam illam humanam integritatem commendant, ut: *Solummodò hoc inveni, quod fecerit DEVS hominem rectum, & ipsi querunt ad inventiones multas.* Eccles. 7. 30. *Nam ad similitudinem DEI fecit DEVS hominem, in die qua creavit eum.* Gen. 5. 1. *Et DEVS creavit hominem inextinguibilem* (ἄσβεστον) *ad imaginem similitudinis suæ fecit illum,* &c. Sap. 2. 23.

31. Elicitur ex dictis PRÆSTANTIA internarum partium; quàm liberi fuerint protoplasti ab omni curvitate. 1. quia conditi erant recti, in iustitia, absque omni curvitate. 2. quia natura erat iusta, nullisquæ pravæ concupiscentiæ illecebris ad peccandum intrinsecus ducebatur. PRÆSTANTIA externarum partium; nempe admiranda singularum partium, & totius structura & harmonia; membra omnia firma, & absque omni imbecillitatis morborumquæ; passione atque afflictione.

32. Huiusmodi internâ excellentia fulgebat ANIMA, quæ facultatum suarum omnium, pulchrâ *συμμετρίᾳ* functiones absque ullis impedimentis peragendo, INTELLECTV dextrè iudicabat, VOLVNTATE in iudicio recto, & integro acquiescebat. Proinde optima affectuum erat temperatura, nulla perturbatio eò, quod nullius rei metu abrepti, nullum dolorem, nullamque morborum plagam sentirent Augustin. lib. 14. de Civitate DEI. capite 10.

33. Insignem hanc si quis expendat naturæ humanæ excellentiam & *συμφωνίαν*, ecquis ullam somniare possit carnis & spiritus luctam? Sanè quisquis somniaverit, is erit talis, qui vel cum perverso *προνόμιον* affectu hanc excellentissimam creaturam consideret, vel oculis distortis intueatur, & pro ratione, ac statu corruptæ naturæ, corrupto genio & ingenio ex lucta rectæ rationis, & appetitus sensitivi, naturam integerrimam iudicare, men-

menfurare ac metiri non extimescat. Quo morbo, sive malitia, sive praëjudicii, Bellarminus, cum omni Papistarum grege laborat, nobisque litem movet circa imaginem Dei; Et non concretam naturalem qualitatem, sed supernaturale donum dicitat, rectitudinem originalem, fingitque DEVM ideò addidisse hoc froenum, ut materialem concupiscentiam, & dissensionem cum Spiritu comperceret & refrœnaret.

SECUNDA QVÆSTIO.

UTRUM RECTITUDO ORIGINALIS SIT  
DONVM NATVRALE, AN VERÒ DONVM  
supernaturale.

34. Status quaëstionis controversiæ hic est. Nostræ Ecclesiæ docent, & ex purissimis Israëlitis fontibus demonstrant, omnibus hominibus, utpote qui integritatem & rectitudinem originalem amiserunt in Adamo, deesse bonum naturale, nec naturalia esse in statu peccati, & hac corrupta natura, integra, sed horrendum depravata. Pontificii & Bellarminus libro de gratia primi hominis capit. 5. contra affirmant, *rectitudinem illam, cum qua Adam creatus fuit, & sine qua post lapsum omnes homines nascuntur, esse donum supernaturale, & sic naturalia esse integra.*

35. Nostram sententiam confirmant subsequèntia fundamenta. I. Argumentum, Partes cum toto sunt homogeneæ, & si partes sunt naturales, etiam totum erit naturale. Atqui quædam particula agnitionis DEI, ad quam tanquam *ad imaginem DEI primus homo creatus est*, Coloss. 3. 10. *Et est sanctitas veritatis*, & (virtute linguæ Hebraicæ) *veritas sanctitatis*. Eph. 4. 24. & quædam portio justitiæ, seu conformitatis cum lege DEI, est naturalis. E. tota rectitudo Originalis fuit naturalis. Propositio certa. Idem sibi ipsi non est heterogeneum. At partes simul sumptæ sunt ipsum totum: Ergò partes & totum sunt homogenea.

36. Assumptio est Pauli, quæ tamen, quia bimembris est,

dupliciter ex Apostolico testimonio, & distinctè sic probata red-  
ditur. 1. Membrum cognitionis, & intellectus respectu, hoc  
modo: ex cap. I. v. 20. ad Romanos. Manifestatio & cognitio  
sempiternæ potentia DE I, & divinitatis, ipsiusque DE I, est  
quædam particula agnitionis DE I, & quædam (licet im-  
perfecta & languida) veritas sanctitatis. At Gentium cog-  
nitio de DE O fuit ex manifestatione agnitio sempiternæ  
potentia & divinitatis, ipsiusque DE I, adeo ut sint inexcusa-  
biles, Roman. I. v. 20. eaque fuit naturalis. *Invisibilia namq,  
DE I è creatione mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta con-  
spiciuntur.* Ergo Gentium cognitio hæc, aliqua portio agnitio-  
nis DE I, est naturalis.

37. Alterum assumptionis membrum, respectu volun-  
tatis, & justitiæ, ex cap. 2. v. 15. ad Rom. confirmari potest, hac ra-  
tione: Ubi quædam conformitas cum lege DE I, ibi quædam ju-  
stitia, & particula rectitudinis Originalis. Atqui apud Gentes  
quædam conformitas cum lege DE I, eaque naturalis. Nam *Gen-  
tes naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, inquit* Apostolus. Ergo  
apud Gentes quædam particula est rectitudinis Originalis, eaq;  
est naturalis. Præmissis ita evidentissimè ex Scripturis demon-  
stratis, stat immota conclusio, quæ ait: Totam imaginem  
DE I in homine primo fuisse naturalem, & non donum super-  
naturale.

38. II. Argumentum nostræ sententiæ hoc est. Consci-  
entia testimonium reddens gentibus cogitationum sese invicem  
accusantium, aut etiam defendentium, est naturalis, non exter-  
num superadditum donum supernaturale. Atqui rectitudinis  
seu justitiæ originalis particula est conscientia talis, quæ est jam  
inscripta in cordibus, licet non ea perfectione, ut in statu inno-  
centiæ & integræ justitiæ. Ergo Justitiæ Originalis pars est natu-  
ralis, & proinde tota rectitudo primæva non est superadditum  
donum supernaturale.

39. Propositio est certa; Nam dicit Apostolus Rom. 2. 15. *Gen-  
tes*

res ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium red-  
dente illis conscientia, &c. Assumptio plana est ex hac ratiocina-  
tione. Originalis Justitia est conformitas cum lege DEI, & con-  
fessio cum lege DEI, est rectitudo Originalis. At conscientia co-  
gitationum mutuò sese accusantiū & defendentiū est confessio  
cum lege DEI, & quaedam particula iudicii divini v. 16. E. consci-  
entia talis est rectitudo quaedam originalis, quæ cum adhuc apud  
omnes homines naturalis, E. etiam procul dubio fuit perfecta &  
integra justitia originalis, naturalis in primo homine. Immo-  
ta hæc sunt fidei fundamenta ex verbo revelato extructa.

40. Jam rationes quas Bellarminus *lib. de grat. primi ho-*  
*minis* adducit c. 6. ordine videbimus, & ne quispiam supervaca-  
neum hoc nostrum propositū esse putet, sciat Jesuitas, omnesq;  
Pontificios ex falsis de rectitudine originali præsuppositis, huma-  
næ naturæ integritatem & perfectionem etiam in statu maximè  
corrupto, extruere. Operosior voluit esse in obtinendo hoc insti-  
tuto suo, & pro more (quem & nos posthac servaturi sumus) pri-  
mum ex dictis Scripturæ argutatur, & quaedam dicta obtorto q-  
collo ad institutum suum rapit & detorquet.

41. I. Argumentum. Bellarminus ex cap. 3. v. 19. Genes.  
*Pulvis es, & in pulverem reverteris*, vi assumptæ interpretationis  
sua, ita colligit. *Qualem ex natura homo statum habuit, in ta-*  
*lem statum naturalem recidit; idq; ideò, quia dono illo DEI super-*  
*addito, propriâ suâ culpâ, spoliatus est, & nunc etiam pulvis erit.*  
*Atqui ex natura homo pulvis erat, hoc est, mortalis, fragilis, do-*  
*loribus, laboribusq; obnoxius. E. homo ablato dono supernaturali,*  
*in talem statum naturalem recidit.*

42. Respondeo. Explicatio est ἀθεόλογος, & Propositio, quæ  
exindè fluit, absurda: quia hoc dictum longè diversum vult, nimi-  
rum cum sit pœnæ indictio, profectò deteriorē, quam ex natura  
fuit, factum esse hominem, notat. Quomodo n. pœnæ rationem;  
& quidem gravissimam posset habere id, quod est naturale con-  
creatum? Sententia igitur vera hujus dicti, prout ipsa συνάφεια  
textus.

textus commonstrat, hæc est. Reducit DEVS hominem inobedientem, & prolapsum ad suam originem, & ait. Origine terra es. (ex qua sumptus & formatus es) per abusum liberi arbitrii tui, spreto meo mandato, ad terrena rediisti. Stat itaque sententia juxta comminationis pœnam indictam, vt in terram & pulverem revertaris. Hanc interpretationem comprobat & illustrat Apostolus Rom. 5. 12. *Mors est pœna peccati, & Rom. 6. ult. Mors est stipendium peccati.*

43. Assumptio similiter absurda, & explicatio vocis (PVLVIS ES) pro eo, quod homo ex natura sua mortalis sit, sumptæ, est omninò falsâ, ac DEI verbo contraria, quod probo. 1. Non loquitur hæc vox (PVLVIS ES) de conditione animæ, quæ est sedes imaginis DEI, & tamen Jesuitæ idem significat, quia spoliatus es dono meo supernaturali, tuâ culpâ recidisti in pristinum statum: ac si diceret, animâ pulvis fuisti, & jam pulvis es, Nam hîc subiectum est id, quod est sedes imaginis. Loquitur igitur de corpore, cuiusque origine: & hoc quidem in se, quippe ex limo terræ formatum, Gen. 2. 7. corruptibile fuit. Attamen, essentialiter & formaliter animæ rationali, juxta imaginem & similitudinem DEI creatæ, unitum, fuit ipso actu incorruptibile per se, & per accidens corruptibile. 2. Quod est naturale illud fluit ex principiis naturæ, & est per se, vel teste etiam Jesuita in hoc lib. c. 5. Atqui mors non est per se, nec ex internis nature principiis. E. mors non est naturalis. Assumptio probatur, Quod est per accidens, & ab externo aliquo, illud non est per se. At mors est ab externo & per accidens. Ergò mors non est per se. Minor erit certa ex dictis, *per peccatum mors in mundum venit*, Rom. 5. 12. Sap. 2. 24. *Invidia Diaboli mors introiuit in orbem terrarum.*

44. Obstrepit Jesuita lib. eodem cap. 7. *In corrupta natura tamen mors existit ex interno principio, lucta, putâ, contrariarum qualitatum: Syllogismus sit talis: Quod jam ex nature principio interno fluit, illud etiam in statu integritatis, ex principio interno fluxit. At nunc ex pugna contrariarum qualitatum,*

tan-

tanquam ex interno principio mors exsurgit. Ergò etiam in statu integritatis ex interno principio fluxit.

45. Respondeo. In propositione est ἀκυρολογία vocis nature. Nam si loquitur de substantialibus, vera esse potest. Si verò de accidentalibus nature, tum illud, quod jam est ex defectu nature corruptæ, in statu integritatis non erat naturale. Atqui loquitur de lucta contrariarum qualitatum, quæ est accidens, & tunc non erat. Ergò mors, quæ jam fluit ex principio interno, tunc non ex natura fluxit. Propositionis limitatio constat. Quia ex confessione ipsius Jesuitæ accidentalis perfectio enervata & amissa est, quæ consistebat etiam in ornatissima temperamenti æqualitate, quam ut conservaret homo, DEVS condidit arborem vitæ, ut huius esu vitæ conservaretur humana in hoc seculo temporali, & sic nulla mortis vis ipsi homini impendebat. Unde & ab esu & usu huius arboris, postquam mortis, miseriarumq; declaratus subditus fuit, DEVS statim hominem abegit & prohibuit, Gen. 3. 24.

46. Ex abundantanti & hoc adde argumentum, quod homo in statu integritatis non fuerit mortalis. Ubi non est stimulus mortis, ibi nec mors, At in statu integritatis, si permansisset innocens, nullum fuisset peccatum, seu stimulus mortis. 1. Cor. 15. v. 56. Ergò in statu integritatis nulla fuisset mors, nec homo innocens mortalis. Propositio confirmatur: Ubi nullus stimulus mortis, ibi nec mortis victoria, nec dominium. Ubi non est mortis victoria, ibi nemo moritur, & nullus mortalis. Sap. 2. 23. dicitur homo creatus ἵπν' ἀφθαρσία. Quia probandum fuit hominem innocentem non fuisse mortalem, longius huic argumento immorari debuimus.

47. II. Argumentum Bellarmini, ex Psalm. 8. v. 5. & seq. *Gloria & honor sunt dona externa. At rectitudo vocatur gloria & honor homini datus. E. Rectitudo est donum externum.*

48. Respondeo. Propositio non est universalis. Nam omninò est hominis honor & gloria, quam habet præ cæteris ani-

D

man-

mantibus, esse rationalem, & intelligentem, habere potentias, & dotes anime, quas tamen nemo nisi ineptissimus negaverit internas & naturales. Quare ita limitanda Propositio. Omnis honor & gloria, quæ accedit Enti perfecto, & homini absoluto, est donum superadditum. Atqui rectitudo non accessit homini absoluto & perfecto. E. rectitudo non est donum externum & superadditum. Assumptio quoque inconvenienter probatur ex Psal. 8. 5. quod patet ex Apostolo 1. Cor. 15. 27. & Heb. 2. 6. qui vaticinium, hoc in loco de Christo haberi, satis abundè docet.

49. III. Argumentum Bell. ex Eccl. 17. 12. *Omne indumentum, & vestis est donum extrinsecum & superadditum. At rectitudo Originalis vocatur vestis, & indumentum, nam notato loco habetur; secundum se vestivit illum virtute. E. rectitudo est donum extrinsecum, & superadditum.*

50. Respondeo. Posita hac propositione, ego subsumo. Caro & pellis vocantur in Scriptura vestis Job. 4. 10. *Carnibus & pellibus vestivisti me.* E. carnes & pelles Jobo non fuerunt naturales ex naturæ principiis. Conclusio manifestè absurda. Ergò virtute præceptorum Logicorum alterutra præmissarum erit falsa. Assumptio est Spiritus S. & verissima. E. Propositio erit absurda. Manet itaque, non omne id, quod in Scriptura dicitur vestis, esse externum, & non naturale; alioquin ipse DEVS, quem ita celebrat Psaltes Ps. 104. 2. *Laudem & gloriam induisti, amictus lumine sicut vestimento,* diceretur gestare indumentum superaddito externo vestitu, quod absurdum.

51. Ultimò parabolam Luc. 10. 30. *de homine spoliato,* pro suo genio huc detorqueat, quo vestimentum hoc externum, & spoliationem, & vulnerationem suam reddat evidentiorè, in semivivo relicto. Verùm brevis est responsio, parabolam hanc ad præsentem materiam, nisi maximè distortè & malitiosè, accommodari non posse, nec debere, quum scopus Salvatoris ibidem non sit, ut proponat gloriam & præstantiam hominis, sed ut exemplum charitatis, & dilectionis proximi ob oculos ponat. Et esto. *inver-*

tere

tere aptissimè & Jesuitam Jesuitæ opponere possumus, hoc modo. Quod malum ab externa impellente violentia venit, illud nõ est ex principiis naturæ, & naturale. At eiusmodi spoliatio & vulneratio ab externa impellente violentia latronum venit. E. Spoliatio & vulneratio non est naturalis, nec pullulat ex conditione materiæ, & concupiscentia carnis, qua tamen assertione hanc ipsam hujus sexti capitis periodum ipse Cardinalis claudit. Si ita placuerit Jesuitæ parabolæ applicare, profectò concedat, oportet, hominem non voluntariè peccasse, sed invitè, quum is, qui in latrones incidit, procul dubio non voluntariè, sed cogente violentia latronum denudatus, vulneratus, & fauciatu sit.

52. Discussis Scripturarum torturis, rationes quas producit Bellarminus, pari ratione ponderabimus.

*I. In qua natura est contrariarum qualitatum, ex conditione nature sibi invicem repugnantium, ob donum aliquod, illud donum non est naturale. At in natura humana sunt caro & spiritus, quæ contrarias, & pugnantes habent propensiones. Nam caro naturaliter concupiscit bonum sensibile. Spiritus concupiscit bonum spirituale, & tamen ob originalem rectitudinem, humana natura, pugnantiarum diversarum appetitionum caruit. E. rectitudo originalis non fuit donum naturale.*

53. Vis tota hujus argumenti, fallaci innititur *επιθεσις* de pugna, quam dicit simpliciter etiam in integra natura fuisse naturalem. Propositio itaq; enodanda, & certis cancellis termini ambigui includendi, & evolvendi sunt. Limitamus itaque hac ratione: In qua natura, duæ contrariæ propensiones simpliciter (quæ nec subordinari possunt) per donum aliquod, ad harmoniam flectuntur, vi & principio externo, illud non est naturale. Nam natura est principium motus internum, & omnis conditio naturalis ab interno fluit. At in natura humana primæva tam contrariæ propensionis ut subordinari nequeant, & ab externo principio ad consensum cogi debuerint, non fuerunt. Ergò in primæva

mæva hominis natura, donum, quod effecit harmoniam diverfarum propensionum, non fuit externum.

54. Propositionis limitatio fixa est. Nam si fuerint subordinatæ propensiones, ex naturali aliquo dono, & interno quodam principio, harmonia promanare potest, & sic deficiente pugna externum aliquod non requiritur. Assumptio probatur. Quia bonum sensibile, & bonum spirituale, ad eaque distincta, propensiones distinctæ sunt quidem, & opponuntur, ut disparata, si in sese extra respectum unionis in uno homine considerentur. Verùm in consideratione ea, qua respiciunt unum compositum, conflatum ex spiritu rationali, & corpore, ob vinculum unionis, & prout altera pars alteram informat, eiq; esse dat, non ampliùs sunt contraria, sed sunt subordinata.

55. Probo. Apud ipsos Jesuitas quoque extra controversiam est in hac naturæ corruptione (ut taceam in illa naturæ integritate, quando perfectior fuit) potentias inferiores cum superioribus non æqualis inter se esse potestatis: hinc enim usus obtinuit, alias vocare inferiores, alias superiores. In gratiam adversarii producamus Jesuitarum magnum Doctorem Thomam, qui in Summæ part. I. q. 77. art. 4. concludit *inter potentias ordinem esse, & quidem secundum dependentiam (ut ait) unius potentie ab altera, & art: 7. defendit, quod una potentia ab altera oriatur. Porrò (inquit) potentie anime opponuntur ad invicem, oppositione perfecti & imperfecti, & imperfecta naturaliter à perfectis procedunt.*

56. Ex hac distinctione potentiarum, IN SUPERIORES, & INFERIORES, qua ap. D.D. & Jesuitas nihil communius, inverto jam argumentum, & nostram sententiam ita deduco. Quæcunque propensiones habent se, ut inferiores & superiores, eæ sunt subordinatæ, nec contrariæ: At in homine propensiones, altera ad bonum spirituale: altera ad bonum sensibile, sese habent, ut superiores, & inferiores. Ergò in homine uno, hæ propensiones sunt subordinatæ. Propositio certa est.

Sub-

Subalterna & subordinata sunt, quorum unum subordinatur alteri. At inferior subordinatur superiori (ea enim, quorum est ordinis ratio, subordinantur: Atqui inferioris & superioris, est ordinis ratio. Proinde inferior, & superior subordinantur.) E. quæ potentia se habent, ut inferior, & superior sunt subordinata.

57. Quod quoque (ut antea dixi) alia sit ratio propensionum in se, & alia ratio in eodem ipso homine consideratarum, breviter sic probō: In homine, quando conjunguntur spiritus & caro, propensio ad bonum spirituale, & propensio ad bonum sensibile, sunt, ut inferior, & superior. Atqui extra hominem, non sunt ut inferior, & superior. Alia enim est propensio Angeli ad bonum spirituale: alia bruti, ad bonum sensibile. Ergo extra hominem propensio ad bonum sensibile, & propensio ad bonum spirituale, habent se aliter, ut in homine; atque in homine unito vinculo essentiali, aliter quam in se.

58. Pro conclusione huius argumenti advertendum. Non temerè id, quod est in appetitu ordinatum, & naturale, cum eo, quod est inordinatum, & præternaturale, confundi debet. Nam sensus, seu corpus quando appetit, in puris suis naturalibus absque à *taçia*, nulla est concertatio propensionis ad bonum sensibile, cum propensione ad bonum spirituale: quemadmodum non sunt contraria, potentia videndi in oculo, & intelligendi in mēte; seu videre oculo, ambulare pedib⁹, intelligere mente. Nam bonū non est bono contrariū, sed malo bonū. Et alia est ratio partium, qua sunt partes, inter sese: & alia ratio, qua partes sunt unum totum, & ordinantur ad totum. V.g. Adamus in statu innocentia suæ, naturali appetitu, & ordinato, victum necessarium expetivisset, quæ propensio ad bonum sensibile, propensioni ad bonum spirituale non repugnasset, eò quod ipse spiritus huius sui corporis necessaria alimenta, & bona sensibilia concupivisset non propter se, sed propter corpus suum, per quod ageret & operaretur.

59. Quod si verò contra hanc suavissimam *συμμετρίαν* corpus plus suo bono adhæsisset, & inordinato modo contra

spiritus consensum, cibum abundantiore[m] ingessisset, tunc talis σὺρραξίς admitti debet, & potest. Hac namque ratione inferior superiori reluctaretur, & tunc procedit collectio: uti jam in natura corrupta, cuiusmodi inordinatum sensibile[m] usum prædominari, cuius experientiâ notissimum est. Quæ omnia, ut planissima sint (præsertim consensus) & hoc consideretur. Anima nostra & spiritus, qui appetit bonum spirituale, dicitur, & est spiritus: attamen non est spiritus merus, & ita absolutè talis, qualis vel Angeli, vel DEVS; quin potius habeat dependentiam ad corpus suum, quod informat, & per quod operatur. Imperat quidem appetitui, & tamen superior κωσερνητικῆ prospicit inferiori, ita ut in iis, quæ naturali, & ordinato appetitu ad conservationem sui, corpus concupiscit, simul etiam anima, quia suum corpus est, harmoniâ suavissimâ, absque omni propensionum σὺρραξίς velit, & cupiat.

60. II. Argumentum Bell. ex ratione. *Corruptionis causa, & rebellionis ipsius carnis ad spiritum, vel est DEVS, vel est pomum vetitum, vel flatus serpentis, vel conditio materiæ, jam post remotionem doni supernaturalis. At nec DEVS, nec flatus serpentis, &c. E. conditio materiæ.*

61. Respondeo. Est insufficientis enumeratio causarum. Suppleo igitur, & addo, vel transgressionem legis, vel inde ex pœna divina consequutam turbationem, carnis & spiritus primavæ Harmonias. At illa Harmonias turbatio, est causa rebellionis, Φρόνημα τῆς σαρκός; E. non est conditio materiæ. Assumptionem probo. Nam post extinctam lucem divinæ sapientiæ in mente, & dilectionis DEI in voluntate, remansit equidem potentiis appetendi vis; verum depravata, adeoq; corrupta, ut neutra id, quod pro tempore, quantitate, & moderatione, reliquisq; circumstantiis debebat, appetat. Huc pertinent dicta Rom. 5.12. *Peccatum est causa mortis.* Rom. 6. ult. *Est stipendium peccati mors.* Rom. 5.18. *Per unius obedientiam peccatores constituti sunt multi.* Rom. 7. v. 18. *Non operor illud, sed quod habit at in me peccatum.* & versu 23.

su 23. Item 1. Johan. 2. vers. 16. *Quod est in mundo, concupiscencia carnis est, qua non ex Patre, sed ex mundo est.* Condicio materiæ naturalis est ex Patre. Ergò illa conditio non est concupiscencia talis.

62. III. Argumentum Bellarmini ex ratione. *Non plus per peccatum primum amisit Adam, quàm renati per actualia peccata. At per peccata actualia renati solum amittunt dona supernaturalia, & non dona naturalia. Ergò Adam per primum peccatum amisit solum donum gratiæ, non donum naturale.*

63. Respondeo. Posita hac propositione, ego assumo: At renati per peccatum actuale, non amittunt originalem justitiam. Ergò nec Adam amisit per peccatum, originalem justitiã, Conclusio quia absurda, alterutra præmissarum erit talis: Atqui minor vera. Nam quod quis non habet, amittere nequit: Ergò propositio erit absurda. Nam misso hoc, quod peccata actualia, in relatione ad legem DEI, eadem sint cum peccato Adæ, respectu tamen destructionis naturæ, & excellentiæ amissæ, aliam habent rationem, ut modò demonstravimus.

64. Deinde, Assumptio est falsissima. Nam SANITAS, ET MEMORIA sunt dona naturalia. Atqui sanitas, & memoria per peccata actualia, Veneris usum immoderatum, & ebrietatem, amitti possunt. Ergò per peccata actualia renati etiam dona naturalia, & non saltem dona gratiæ amittere possunt. Propositionem, qui negaverit, absurditates non effugiet. Assumptio tot exemplis confirmata est, & habet testem Sp. Sm. Prov. 7. 23. 1. Cor. 6. 18. *Qui fornicatur, in corpus suum peccat.*

65. IV. Bell. Ratio. *Quæ sententia negat humanam naturam, potuisse à DEO creari sine justitia originali, illa negat posse hominem mortuum à DEO revocari, nisi præditum originali justitia. At prius negat sententia adversariorum, quæ est: naturam humanam, qualis nunc est, remotà culpâ, malam esse, & necessario labi in peccata, & ideo sine justitia originali non potuisse creari. Ergò etiam negabit, hominem mortuum à DEO posse revocari,*  
nisi

*nisi præditum originali iustitiâ. Probat propositionem. Idem est absurdum, siue creetur siue reparetur, à DEO natura, quæ necessariò peccet. Acquè enim reparatio solius DE I, ac creatio.*

66. Respondeo. Non unus error est in hoc argumento. 1. *ἀνακρίσθων* est, quod asseritur in propositione, idem absurdum esse, siue creetur siue reparetur natura mala. Quippe eadem facilitate quis dixerit, idem absurdum esse: Deum condere creaturam malâ, & conservare, quod tamen & impium, & falsissimum. Nec militat ratio addita. Reparatio est solius DE I, cum & conservatio sit solius DE I. *In DEO enim sumus, vivimus & movemur.* Act. 17. 28. Sic enim DEVS conservavit Ezechiam, opere divinæ potentiae, additis 15. annis, Esa. 38. 1. quæ conservatio, licet fuerit miraculosa, tamen vita ipsius nequaquam caruit peccato, 2. Reg. 13. 28. Quare hinc probè distinguendum est inter id, quod bonum mansit, & inter malum, quod bono adhæret. DEVS pro immensa bonitate ipsam substantiam hominis conservat & sustentat, non autem istam qualitatem vitiosam sustentat. Malignitas namque non à patre, sed à mundo, 1. Joh. 2. 16. & à malitiosa voluntate hominis promanar.

67. 2. Si de totali reparatione, & secundum substantiam, & secundum omnia accidentia rei perditæ loqueretur Jesuita, (quale est creatio opus, quod per omnia ex creatore est) aliquid collectioni dandum foret: Qua ratione homines resuscitados non reparari ecquis dubitabit? siquidem corpora penitus in nihilum redacta non sint. Quapropter DEVS resuscitabit ipsam substantiam, quæ bona est, quam & conservat, & sustentat. Accidentia verò, & qualitates vitiosæ inhærentes, ut DEVS non fecit: ita in resuscitatione corporis, seu ipsius substantiæ, nullo modo ad DEVM reduci poterunt.

68. 3. Ex dictis contra Jesuitam concludimus evertendo eius propositionem. Quorum non est eadem ratio, ex iis nec potest sequi idem absurdum, quoad illam rationem. At non est respectu DE I, eadem ratio creationis & resuscitationis. Ergò nec idem.

idem, respectu DEI ex creatione, & reparatione, sequi potest absurdum. Propositio certa. Nam posita dissimilitudine, in re ipsa ponitur quoque, quoad dissimilitudinem eam, dissimilitudo in consequente, seu absurdo. Assumptio probatur. Quicquid fit ex præexistente materia, eius cum creatione non potest esse respectu creatoris, seu causæ producentis, eadem ratio. Quia creatio ex nihilo productio est, & res creata tota per omnia esse suum habet à creatore. Atqui resuscitatio mortuorum fit ex præexistente materia, nam nullum materiatum planè in nihilum redigitur & abit. E. resuscitationis, & creationis non est eadem ratio. Proinde stabit conclusio: Ex creatione & resuscitatione respectu DEI non sequi idem absurdum.

69. IV. Error in assumptione Syllogismi Jesuitici latet, ubi candorem in adversario desideramus, affirmante, nostras Ecclesias sentire, quod natura humana, qualis nunc est, remotâ culpâ, sit mala, & necessariò labatur in peccata. Insignis sanè temeritas: Nam omnibus constat, & procul dubio notissimum est Cardinali, quod natura humana propter culpam, & per eam sit, & dicatur polluta, depravata, & corrupta. Culpâ sublatâ, naturam habebis integram, nec cuiquam licebit dicere, quod natura humana necessariò peccet.

70. V. Ultima ratio Bellarmini hæc est. *Primi parentes dicuntur filii DEI, Job. 38. 7. & fuerunt consortes Divinæ nature. At non naturaliter, quia unicus filius DEI naturalis est Christus. Ergò bonum, propter quod dicuntur filii DEI, non fuit naturale, sedederant filii DEI adoptione & gratiæ dono supernaturali.*

71. Resp. Ad assumptionem eam esse veram ratione eius, qua vox naturaliter sumitur pro substantia divina, & sic solus, & unicus λόγος est consubstantialis, nec simpliciter opponitur adoptioni, & erit plus in conclusione, quàm in præmissis. Prout autem sumitur pro qualitate, & accidentali similitudine, & imagine DEI, in quantum concreata fuit similitudo, ex qua primus homo dicitur filius DEI: omninò hac ratione accidentali, prout

E

ex per-

ex perfecta natura fluebat, filius naturalis DE I dicitur. Quod ita evinco. Oppositorum est eadem ratio. At peccatores naturâ sunt filii iræ. E. justii primi parentes naturâ fuerunt filii DE I. Et ut peccatum originale est naturale: ita quoq; Justitia originalis naturalis. Atqui illud est naturale, Joh. 3. 6. *Quicquid ex carne natum est, caro est.* E. Justitia Originalis bonum naturale.

72. Pro conclusione hujus quæstionis quædam absurda colligimus ex sententia Jesuitæ, eiusque propriis assertionibus.

I. Causa causæ est causa causati. At DE V S est causa conditionis materiæ, ex qua pullulat concupiscentia, quæ est peccatum. 1. Johan. 3. v. 14. Ergo etiam DE V S erit causa peccati, quod blasphemum. Vanum est *καθησφύζαντες*, quod præterdit, id esse præter intentionem creatoris, quemadmodum rubigo in ferro, præter intentionem fabri. Ecquis tam stupidus, qui hoc non animadvertat? *Omnia erant valde bona.* Genes. 1. ult. *Quin* imò faber non creat, nec curat tam ipsam ferri substantiam, sed saltem occupatur circa formam accidentalem.

73. II. *Omne vitium est contra naturam. At languor ex conditione materiæ est vitium nature.* Ergo languor ex conditione materiæ est contra naturam. Major est Bellarmini lib. de gratia primi hominis cap. 5. Minor in eodem capite his verbis ipsis.

74. III. *Natura creata sine justitia, & sine peccato (id enim vocamus in puris naturalibus) suam habet rectitudinem, quatenus videlicet nullam habet curvitatē vitii, lib. de gratia primi hominis cap. 7. Bellarmin.* Ibidem & in sequentibus. *Concupiscentia carnis homini condito in puris naturalibus, fuisset naturalis, & morbus quidam nature.* Ergo natura, quatenus nullam habet vitii curvitatē, habet morbum naturalem, seu vitii curvitatē. Vah, quàm ineptus, & absurdus est Jesuita!

75. Absurdum est, integram naturam esse impotentiorē corrupta & imperfecta. Atqui hoc expressè dicit Cardinalis hoc lib.

lib. de grat. prim. hom. c. 7. *Primi parentes habuerunt gratiam, quâ possent perseverare, si vellent, velle autem est relictum in eorû libero arbitrio. At Sancti, post lapsum Adæ, nō solum habent gratiã, quâ possint: sed habent etiam potentio rem, quâ fit, ut velint.* E. corrupta natura est perfectior integra, contra Apostolum Rom. 7. 18

76. Hoc igitur tanto dono evicto, quo & homo naturaliter instructus fuit, & in similitudine qualitatum cum DEO, qui est mens liberrima, convenit: propalã est, fuisse hominem liberi arbitrii, & voluntatem humanam verè liberam, tam à bono, quam à malo, ut & ab omni necessitate. CUM N. LIBEVM ARRITRVM fuerit pars imaginis DEI, nimirum IN VOLVNTATE excellentia ea eligendi, quæ voluntati divinæ consentiunt, & mala liberrimè respuendi, totâ imagine DEI confirmatâ, & ex Scripturis revelatâ, partem etiam demonstratam esse, omnibus obvium erit. Et quidem præcedentibus jam adjiciamus inquisitionem naturæ eius, ex restauratione ipsius LIBERI ARBITRII in Scripturis proposita.

77. Scripturæ de restitutione LIBERI ARBITRII hæc sunt eloquia: *Si vos filius liberaverit, verè liberi eritis, Ioh. 8. 36. Liberati à peccato, servi facti estis justitiæ, cum enim servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ. Nunc verò liberati, servi autem facti DEO, habetis fructum vestrum in sanctificationem.* Rom. 6. v. 15. & seq. *Ubi spiritus Domini, ibi libertas.* (addit Apostolus) *Nos verò omnes in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domino Spiritu.* 2 Cor. 3. 17. & seq. Videmus hoc in loco Apostolum conjungere libertatem cum imagine DEI, ex quo, pertinere VERAM LIBERTATEM ad ipsam imaginem DEI, haud difficulter concludimus.

78. Ex hisce testimoniis fluit. 1. Adam ante lapsum, non fuit servus peccati, quia superatus à peccato, demùm factus est servus peccati, 2. Petr. 2. vers. 19. 2. Libertatem, habemus per Christum à servitute corruptionis. Nam ubi Spiritus Domini, ibi libertas. Ergò ubi Spiritus Domini non est, ibi nec libertas. Proinde indubitatum manet, libertatem,

hinc non notari eam, quæ est naturalis potentia, in corrupta etiam natura (de qua supra thesi 14.) sed illam integram, quæ fuit in integra natura, ad quam jam renovamur, Eph. 4. 24. Coloss. 3. 10. Est itaque LIBERVM ARBITRIVM in hoc statu primo integritatis, facultas intellectus & voluntatis, qua homo de rebus rectè iudicat: cognita ac iudicata eligit, eademque liberrimè fugit aut persequitur. Nam cum homo in statu integritatis servus peccati non fuerit, liber fuit tam ab omni necessitate, quàm coactione peccandi, ita quidem, ut liberè in bono perseverare potuisset, teste Syracide 15. v. 14. *DEVS ab initio condidit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui.*

QVÆSTIO TERTIA.

AN HOMO IN STATU INTEGRITATIS AB OMNI NECESSITATE PECCANDI liber fuerit, ita quidem, ut, si voluisset, poterit non peccare.

79. Nos affirmamus, hominem primum nullâ omninò necessitate peccasse, ut modò dictum est. Calviniani, quibus fatalis necessitas arridet, omnia revocantes ad suum figmentum absoluti decreti etiam in actionibus voluntariis eò delabuntur, ut lapsum, & peccatum primorum parentum, sine æterno, & optimo DEI consilio factum negent, & pernegent. *Zachar. Ursin. in volum. tract. Theologicarum in loco de libero arbitrio, quæst. 2. dicit, & confirmare conatur argumentis, Primum hominem necessariò esse lapsum, seu (ut ipse loquitur) singulari DEI consilio tantum gratia collatum non fuisse primis hominibus, ut tentatione Diaboli non possent seduci, negatque porrò, talem fuisse integram hominis libertatem, ut potuisset in bono perseverare, & liberè, si voluisset, malum repudiare, & bonum eligere, utiturque his verbis. Fuit autem in primis parentibus quædam infirmitas, quæ contra tentationem consistere non posset, nisi DEI singu-*

*singulari bonitate servaretur.* Hic obiter notetur consensus Ursini & Bellarmini, qui lib. 1. de grat. & lib. arbitrio, cap. 11. ait: *Non habuit primus homo gratiam efficacem ad perseverandum: rationem addit: nam non perseveravit.* Uterque negligit perversam hominis voluntatem, quæ tamen omnis calamitatis verissimum est principium, & non infirmitas naturæ.

80. Pro confirmatione nostræ sententiæ, ita argumentamur. Qui liber est à peccato, is nulla necessitate peccat. Nam libertas & necessitas opponuntur, & qui est servus justitiæ, seu justus, is non necessariò peccat. At primus homo liber à peccato, quia non superatus à peccato, 2. Pet. 2. 19. *Creatus in justitia, & justus.* Eph. 4. 24. *fuit similis DEO, qui liber est à peccato,* 2. Corinth. 3. v. 17. Ergò primus homo nulla necessitate peccavit, sed potuit perseverare in bono, si voluisset. Ursinum autem expressè statuere, hominem non potuisse non peccare, in quæst. 2. elucet ex his. Quæcunque fiunt immutabili determinatione consilii divini, ita quidem, ut motus, & actiones aliæ existere non possint, ea fiunt necessariò, & non liberè. At peccatum primi hominis tali immutabili determinatione factum esse, dicit Ursinus. Ergò peccatum primi hominis necessariò absolutè factum est, quia aliter fieri non potuit.

81. Hanc sententiam suam probat Ursinus, ex loco Rom. 11. 32. Conclufit DEVS omnes in incredulitatem, ut omnium miseretur. Ex hoc loco ita colligit quæst. 2. de libero arbitrio. *Quorumcunque omnium universalem lapsum DEVS voluit, ut miseretur, iis ut labi non possent, singulari consilio tantum gratia non contulit. At DEVS omnium hominum lapsum voluit, ut omnium miseretur. E. DEVS primis hominibus tantum gratia non contulit, ut labi non possent.*

82. Præmittenda hîc sunt quædam, ex quibus, tam vera sententia hujus dicti Apostolici, quàm inconvenientia applicationis ad hanc materiam, evadet manifestissima. 1. Vera sententia Apostoli hæc est. In præcedentibus dixit: vos (gentiles)

miserencordiam consecuti estis per incredulitatem Judæorum: ubi non notari causam, sed occasionem, certum est. Notat simul, ut patet ex toto contextu, gentium & Judæorum communem sortem, & indicat immensam, & eandem erga utrosq; DE I gratiam, & misericordiam, atque exprimit: Conclufit DEVS omnes sub peccatum, ut omnium miseretur, h. e. DE I misericordia, quæ vult, ut homines peccatores, & refipiscant, & salutem consequantur, est omnibus communis hominibus.

83. Hujus interpretationis demonstratio hæc est. Conclusio hæc DE I, vel est causalis, vel occasionalis. At non est causalis, quia DEVS non est causa incredulitatis, 1. Johan. 3. 8. & v. 23. odit namque malum, Pl. 5. 5. E. est occasionalis, quam conclusionem ulterius probo ex toto contextu; quia, ut iudex, omnes esse reos æternæ damnationis, pronunciat. Et sic concludit. *Quemadmodum dicitur, Gal. 3. 22. Scriptura conclusit omnia sub peccato, ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus.* Hoc in loco de Scriptura, tanquam Iudice loquitur Paulus. Unde addit: *Prius detinebantur conclusi sub lege, quæ reos agit peccatorum, & iudicat peccatores.* Item Rom. 3. 9. & v. 19. v. 24. Sic particula, VT, omninò est occasionalis, qualis in versu præcedenti 31. in vestram misericordiam Judæi nunc non crediderunt, ut & ipsi misericordiam consequantur. Eodem usu, habetur particula, ut, Gal. 3. 22. Gal. 2. v. 10. & c. Et oppono Ursino Paræum, qui ita explicat; ut omnium miseretur, hoc est, *ut omnibus, tam Gentibus, quam Judæis, misericordiam eius implorandi, occasio esset, super hunc locum in Commentario.* Ubi & explicat hunc locum per similem ad Gal. 3. v. 22.

84. Deinde sequeretur: DEVM omnibus omninò hominibus suam gratiam absolutè conferre, sicut dicitur, omnes homines absolutè conclusisse sub incredulitatem, siquidem particula (VT) hîc intelligatur causalis, sicut ibi causalis fingitur, quod probo: Et in hoc sensu repeto propositionem Ursini. DEVS idèò, ut omnium miseretur, singulari consilio voluit, ut omni gloria-

gloriatione homines coram DEO exuerentur. At omnes iniusti, omnem coram DEO gloriationem amiserunt. Ergò DEVS omnium iniustorum miseretur simpliciter, & singulari consilio. Conclusio hæc est absurda. Minor vera: Ergò major, in qua ita causaliter particula, V T, explicatur, stare nequit. Nam posita (in maiore propositione) causa, propter quam singulari consilio, & immutabiliter ponitur effectus. Posito illo effectu, certè causa stat. At propterea, ut miseretur, DEVS omnes concludit sub incredulitate. Ergò etiam absolutè omnium miseretur infidelium, quæ maximè absurda sunt. Hinc colligimus, quòd inconvenientissimè hunc locum ad hanc materiam applicet. Nam hic locus loquitur de hominibus peccatoribus; at præsens nostra materia de hominibus iustis ante statum peccati, ante lapsum.

85. Notanda hîc quoq; est corruptela ista, quam huic sutz torture, & depravatae explicationi admiscet Ursinus. Nam in prima dicti parte concludit (OMNES) accipit universaliter pro toto genere humano: in posteriore verò membro (V T OMNIUM miseretur) particulariter de minori parte hominum. Verba eius hæc sunt: *Apostolus docet, ideò permisisse, ut totum genus humanum in peccatum mergeretur, ut omnes quoscunque vellet ex corrupta massa servares immensâ misericordiâ, omnium coram DEO gloriatione exuerentur.* Ubi quo candore idem vocabulum, per totum, & per partem generis humani explicet, ipse viderit.

86. His ita discussis, duplici Syllogismo, sententiam Ursini esse falsam, per limitationem, & inversionem evincere possumus, hoc modo. I. Quicumq; concludit omnes sub incredulitate (tanquam Judex puniens transgressores) is hominibus confert tantum gratiæ, ut labi non possent. At DEVS concludit tanquam Judex (qui iudicat, punitque pronunciando peccatores incredulos). Ergò DEVS dedit & contulit hominibus tantum gratiæ. Præmissæ ex præcedentibus sunt evidentissimæ.

2. Qui-

2. Quicumque concludit omnes sub peccatum, ut omnium misereretur, is vult omnium misereri. At DEVS concludit omnes sub peccatum, ut omnium misereretur. E. DEVS vult omnium misereri. Quæ conclusio est verissima, & iis dictis consona. Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat. Ezechiel. 33. 11. 2. Pet. 3. 9. 1. Tim. 2. 4.

87. Plura argumenta, ex præscientiæ divinæ immutabilitate extructa, adduci solent, quæ quid valeant, videbimus in statu secundo, quæst. septima. Juvabit inconstantiam, & vertiginosum spiritum Ursini ex propriis verbis, & assertionibus judicare, & refutare. In hac ipsa secunda quæstione dicit: *Homo in integritate perstare non potuit, cum tentaretur, nisi DEO ipsum sustentante & confirmante.* Et paulò post: *Hoc constitutum sit, hominem habuisse talem facultatem, rectitudinem in mente, & voluntate, qua facultate, DEO ipsum servante, & confirmante, ad bonum, DEO autem non servante, ad malum uteretur.* His quomodo convenient ea, quæ sequuntur, considera: *In eodem actu, & creatura, se privans conformitate cum DEO, peccat; & DEVS, creaturam hoc bono privans, quod ipsa spontè abjicit, punit.*

88. Ex his verbis talia fluunt enunciata absurda. Bonum, in quo homo perstare non potuit, abjecit spontè. Facultate, qua DEO non servante, ad malum utitur, DEO hominem privante, semet privans homo, peccat. Non aliter, ac si quis nugaretur: Valetudinem, & sanitarem, quam homo retinere nequit, spontè abjicit, quo privat DEVS, se privat; qui hæc non sentiat absone, ἀναίσθητος sit, oportet. Occurrit & hoc. Calvinus lib. 1. Inst. cap. 18. sect. 8. dicit: Potuit Adam stare, si vellet, Ursinus hoc in loco ait, in integritate perstare non potuit.

89. Adde & hæc ibidem: *Hominis assensum, quo obtemperabat Diabolo, contra vocem divinam, voluit DEVStanquã patefactionem infirmitatis creature, qua sine singulari presidio divina dona, quibus à DEO ornata est, retinere non possit.*

Conci-



boli suasionibus obsequi potius, quàm creatoris sanctissimæ legi obedire voluit: atque ita pretiosissimo veræ, & integræ libertatis dono, pessimè abuti non veritus est: unde in deplorandam servitutem, & miserrimum statum prolapsus fuit. In quo statu, qui omni jure status peccati dici meruit, quænam sit miserrima hominis conditio, & humanæ naturæ depravatio, ut cognoscamus nos Christiani, vel maxime opus erit. Proinde pia & humilis mens subsequentiâ Scripturæ testimonia ponderet, & secum in timore Domini, & vera indubitataque eloquiorum Sp. Sancti fide, altius expendat.

93. Dicit Dominus Jehovah Gen. 6.5. *Omne figmentum cogitationum cordis (hominis) tantum malum est omni die.* Hoc idem repetit Spiritus Sanctus Gen. 8. 21. In fontibus habentur hæc verba: וְכָל-יִצְרַר מַחְשְׁבֹת לֵבָר. Omne figmentum cogitationum, excogitationum: In quo probè notandum, quàm intimum principium cordis humani notet Sp. S. Pl. 14. 3. ex quo Astolus Paulus demonstrat omnes homines, in intimis penentralibus cordis esse peccatores, ita loquitur: *Non est justus, ne unus quidem. Non est intelligens, non est requirens DEVM. Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt. Non est qui faciat bonum: non est usq. ad unum;* quo loci subnectit fusiùs, quàm prompti, & potentes omnes homines sint in malo.

94. Adeò usque autem promptam, & potentem in malo producendo, humanam esse naturam Scriptura edicit, ut què admodum, in statu innocentia, homo DEO obediens erat, & instructus justitia & sanctitate veritatis; conformis legi DEI; ita post lapsum in statu corruptionis, non solum justitia, & rectitudine per modum privationis caret, sed amissa imagine DEI, imaginem Diaboli sibi acquisivit, concupiscentiam carnis, quæ est ex mundo. 1. Joh. 2. 16. Qua concupiscentia plenus, totus omni conatu DEO repugnat, divinæ voluntati resistit, & ipsa caro inimicitia est adversus DEVM, teste Paulo, Rom. 8. 7. *Sapientia carnis est inimicitia adversus DEVM. Legi enim DEI non est subjecta, nec enim potest.* In hoc dicto attendendum Apostolum, ut magnitudinem

pugnae

pugnæ contra DEVM satis depingat, adhibere voluisse vocem abstractivam ἐξ ἑσθ, ac si diceret, ipsa summa inimicitia eis θεόν: & οὐχ ὑποτάσσεται, idem vult, ac si diceret, non se subijcit, ut etiam Henricus Stephanus in suo margine vertit.

95. Hæc insignis depravatio, & virtus in malo, quàm potens est, tam detestanda, & deploranda miseria, ac planè nulla in rebus bonis, & maximè spiritualibus, hominis peccatoris est potestas. Quippe *malis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus DEI. Stultitia est enim illi, & non potest intelligere*. 1. Cor. 2. 14. *nec sumus sufficientes (idonei) cogitare (λογισαδου) aliquid à nobis, tanquam ex nobis, sed sufficientia (aptitudo ικανότης) nostra ex DEO est*, 2. Corinth. 3. vers. 5. *Ne jam ambuletis, sicut & aliæ gentes ambulant, in vanitate mentis suæ (ἐν ματαιότητι τῆς νοῦς αὐτῶν) tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vita DEI, per ignorantiam, quæ est in illis, propter cæcitatem cordis ipsorum*. Ephes. 4. vers. 17. *Tanta est cœcitas in mente, & summa impotentia hominis naturalis, & carnalis, in intellectu, respectu eorum, quæ sunt spiritus DEI.*

96. Consimiliter in voluntate, nullæ sunt vires ad ea, quæ sunt legis DEI spiritualis. Nam τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς (ipsum sapere carnis) *legi DEI non est subjectum, nec potest sese subicere*. Roman. 8. vers. 7. *Non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum*. Psalm. 14. vers. 3. *Scimus, quòd nos ex DEO sumus, Totus mundus in maligno positus est*, 1. Johan. 5. vers. 19. *Scio, quòd non habitat in me, hoc est, in carne mea, bonum*. Rom. 7. v. 18. *Dolosum & erumnosum est cor hominis, super omnia*. Jer. 17. v. 9.

97. Quæ cum ita sunt, credendum & confitendum erit hoc nostrum extremum naturale malum, non excusandum, aut defendendum, sed indubitatò pronuntiandum, hominem naturalem, & carnalem, nullum habere liberum arbitrium in reb. spiritualibus, h. e. quamvis humana natura ipsa, ratione substantiæ, non sit abolita, quin gaudeat sua naturali potentia volendi, &

intelligendi, eaque quodammodo libera in rebus politicis, tamen ratione virium, ita est corrupta & enervata, ut jam amissa imagine DEI, omnes omninò vires in rebus spiritualibus, omnem LIBERTATEM VERAM ET INTEGRAM, tam à bono, quàm à malo, spiritali, penitus amiserit.

QVÆSTIO QVARTA.

AN HOMO IN STATU PECCATI OPERA BONA PRÆSTARE POSSIT?

98. Ingređimur nunc amplissimam controversiarum aream cum Pontificiis. Primum primæ controversiæ statum, ut planissimè & perspicuè ponere queamus; quædam quæstiones cognatæ removendæ erunt. Nequaquam enim quæritur in hac materia. I. Annon homo carnalis, ante conversionē habeat intellectum & voluntatem (potentias Physicas) intelligendi & volendi? II. Nec hoc quæritur. Num homo habeat libertatem voluntatis eò, quod suprà posuimus libertatem absolutè sumptam, adeò semper esse cum voluntate, ut etiam in summa servitute peccati, voluntatem humanam, in malis perficiendis, liberam esse, & spontè peccare ultrò largiamur.

99. III. Nec nostra hæc est sententia, negare liberum arbitrium hominis non renati, in rebus terrenis, civilibus & Politicis, quin egregium aliquod in iis superesse, contra Calvinianos defendamus; quum in externis actionibus, reliquum esse præclarum iudicium, & liberam voluntatem, vel certissimis, & evidentissimis Ethnicorum documentis, tam abundè satis sit comprobatum, ut qui id negare ausit, Solem in meridie luce-re neget.

100. His ita remotis, jam quæritur. I. Utrùm humana natura corrupta, ante regenerationem, & omnem gratiam, habeat eas vires, ut bona opera legi divinæ, quæ est spiritalis, conformia

formia, ita ut sint absq; omni peccato, præstari possit, eaq; opera hominis infidelis, quantumvis boni quandam speciem in oculis Mundi induant, num coràm DEO verè bona dici queant, divinaque perfectæ iustitiæ, & sanctitati perfectè placeant. Nostræ Ecclesiæ, Lutheranae dictæ, negant. Romanenses affirmant.

2. Utrum homo in conversione sua cooperetur, hoc est, an ex naturalibus viribus suis, quatenus ex carne natus est, & caro est, ante conversionem, quocunque conatu, licet etiam languido, velit ea, quæ sunt Spiritus DEI, vel consensum ac assensum det Spiritui operanti conversionem, & sic cooperetur quocunque etiam modo, præparando se, vel ad gratiam disponendo. Nostræ itidem negant Ecclesiæ. Bellarminus affirmat.

101. Primam aggressuri quæstionem, nostræ sententiæ veritatem demonstrabimus: nimirum hominem ex puris naturæ corruptæ (ante gratiam collatam) principiis nihil posse præstare in rebus spiritualibus, adeoque in iis SERVVM habere ARBITRIVM, & esse servum in rebus spiritualibus, non LIBERVVM.

102. I. Syllogismus noster ex fundamento fidei extractus. Qui est servus peccati in spiritualibus, is non est liber in spiritualibus. At homo carnalis, ante regenerationem, est servus in spiritualibus, adeoque servus peccati. E. Homo carnalis ante gratiam regenerationis, non est liber in spiritualibus. Propositio est firmissima. Posito uno immediatè oppositorum in actu, simpliciter removetur alterum. At posito servo peccati, ponitur immediatè oppositum liberi in spiritualibus. Ergò posito servo peccati, simpliciter removetur liber in spiritualibus. Assumptio primi Syllogismi est certa, estque Sp. S. multis in locis: & quidem Rom. 6. v. 16. & seqq. hic reperitur Syllogismus Apostolicus.

103. *Cui exhibetis vos servos ad obedientiam, eius servi estis, cui obeditis (seve peccati ad mortem, seve obedientiæ ad justitiam)*

tiam.) Atqui exhibuistis membra vestra servire immundicia, & iniquitati ad iniquitatem, v. 19. Ergo servi fuistis peccati, seu iniquitatis, v. 17. & 20. Eiusdem planè tenoris sunt, & alia testimonia Joh. 8. 34. Amen dico vobis (inquit Salvator) Omnis qui facit peccatum, servus est peccati. Et 2. Pet. 2. 19. Quo in errore conversantur LIBERTATEM PROMITTENTES, cùm ipsi SERVI sint CORRPTIONIS. A quo n. q. superatus est, hujus & servus est.

104. Confirmata ita hac conclusione, ex ea procedimus ultra, sic. Quicumq; non est liber in spiritualibus, is nec liberum in iis habet arbitrium, & qui servus, servum habet arbitrium. Atqui homo ante regenerationem, non est liber in spiritualibus. E. nec habebit liberum arbitrium in spiritualibus. Propositio certa est. Nam qui non habet libertatem spiritualem, is nec liberum arbitrium in iis habebit. Assumptio in præcedenti Syllogismo satis confirmata fuit. Stat itaque Conclusio.

105. Quam aptè igitur, & quo sano sensu cum ipsa Scriptura Ecclesiæ nostræ, & Lutherus in libro contra Erasum, hominís non renati arbitrium in spiritualibus reb<sup>9</sup> dixerint, & etiamnum hodiè dicant servum, manifestum est. Nos insistentes his fidei, & pietatis vestigiis, progredimur ad probationem specialem, & directam, nostræ assertionis, qua diximus hominem, ex suis viribus naturalibus, in statu infidelitatis, non posse præstare opera, legi DE I conformia, & pro impossibilitate bonorum operum, Scriptura has suppeditat rationes.

106. I. *Quæ sunt Spiritus DEI, ea animalis homo non percipit, nec intelligere potest, sed sunt illi stultitia.* 1. Cor. 2. 14. At lex est Spiritus DEI, seu spiritualis, Rom. 7. 14. E. ea, quæ sunt legis, animalis homo non percipit. Huc refer consimilia cloquia Sp. S. Matth. 16. 17. Joh. 8. 5. 1. Tim. 1. 7. 1. Joh. 5. 20.

107. II. Quicquid non potest esse subiectum legi divinæ, id nec opera ei legi conformia præstare potest. At τὸ Φρόνημα τῆς σαρκός (hoc est, sapientia carnis) non potest esse subiectum legi DE I. Rom. 8. 7. E. τὸ Φρόνημα, seu sapientia carnis non potest præstare opera

opera legi DE I conformia. Propositio est clarissima. Nam, subijci & obedire posse, convertuntur. Quicumq; itaq; subijci nequit, ille nec obedire potest. At homo carnalis subijci nequit legi. E. nec obedire potest. Hoc idem quoque volunt dicta alia, Psal. 14. 3. Rom. 3. 10. Rom. 1. 21. Joh. 1. 5.

108. III. Qui mortuus est, ille nullas omninò habet vires ad actiones vitales. At homo non renatus *mortuus est in peccatis, & delictis spiritualiter*. Eph. 2. 3. E. Homo non renatus, nullas omninò habet vires ad actiones vitales vitæ spiritualis, & ad legis spiritualis opera. Propositio immota. Nam mors est totalis privatio virium vitalium, seu potentia, ad actiones, & functiones vitales. Assumptio multis testimoniis probatur, Coloss. 2. v. 13. Eph. 2. v. 1. 1. Pet. 2. 14. Considera hîc ea, quæ dicit Apostolus Rom. 6. 13. *Exhibete vos DEO tanquam ex mortuis viventes, & membra vestra arma justitiæ DEO.* Contra hæc fundamenta, nec portæ inferorum quicquam prævalere poterunt.

109. Ex usu, & reveritatis erit, ut jam ad argumenta ipsius Bellarmini, variasque consutas exceptiones pergamus. Bellarminus de gratia, & libero arbitrio, libro 5. capite 9. has habet assertiones, quas defensare conatur: 1. *Homo potest sine fide, & nullo auxilio bonum morale perficere.* 2. *Bonum morale non potest cum peccato fieri.* 3. *Majus quiddam est facere bonum morale, quam servare præceptum secundum substantiam operis.*

110. Has assertiones omnes nos dicimus S. Scripturis esse contrarias, & falsas esse probamus. Postea argumenta, & torturas Bellarm. contemplabimur. Prima nostra ratio, quæ evincit, non posse ab homine gentili, fieri aliquod opus, quod sit sine peccato. (observandum autem, nos hîc considerare bonum morale, in judicio DE I, ut debet esse conforme perfectioni legis & voluntati creatoris.)

III. I. Anomia est peccatum. At omnes actiones infidelium fiunt cum anomia. E. Omnes actiones infidelium fiunt cum peccato. Propositio 1. Joh. 5. 17. Assumptio; quia infideles  
fiunt

sunt peccatores, Rom. 3. 19. & 20. Deinde, ubicunque est *Φρόνημα τῆς σαρκός*, ibi est inimicitia adversus DEVM, & *ἀνομία*. At cum omnibus actionibus infidelium est conjunctum *Φρόνημα τῆς σαρκός*, seu sapientia carnis. Quicquid enim ex carne natum est, caro est, Joh. 3. 8. E. Omnes actiones infidelium fiunt cum *ἀνομία*.

112. II. Quæcunque actiones serviunt in vetustate literæ, & non in novitate Spiritus, sunt impuræ, & cum peccato. Atqui omnes actiones infidelium serviunt legi in vetustate literæ. Ergo omnes actiones infidelium sunt impuræ, & cum peccato. Propositionem confirmat Paulus Rom. 7. 6. *Ut serviamus in novitate Spiritus, quia lex est spiritualis, & non in vetustate literæ*, unde liquet, illam servitutem non fuisse sine peccato, ideo enim prohibetur. Et sic etiam probo ulterius ex natura Oppositorum. Ubi non est novitas Spiritus, ibi nec ipsa bonitas. At in actionibus infidelium non est novitas Spiritus, quæ est unica causa bonæ, & justæ actionis. Ergo in actionibus infidelium (quia non est novitas Spiritus) non est bonitas. Assumptio probatur ex Epistola ad Romanos cap. 8. Ubi toties fit oppositio carnis & Spiritus, & v. 6. Prudentia carnis mors est: prudentia autem Spiritus vita, & pax.

113. III. Qui legem, non *νομίμως*, hoc est, perfecte observat, is legis opera legitime præstare nequit. At gentes legem (*νομίμως*) non legitime observant. Ergo gentes opera legis legitime præstare non possunt. Major Propositio 1. Tim. 1. 8. *Lex bona est, si quis ea, legitime (νομίμως) utatur*. Assumptio certa 1. Timoth. 2. 5. *Finis præcepti est charitas de corde puro, fide non ficta*. Rom. 8. 3. *Quod impossibile erat, &c.* Atqui ab his aberrant non renati, ibidem. Ergo non renati à bonitate aberrant. Huc pertinent dicta. Tit. 1. v. 15. Tit. 4. v. 17. Heb. 11. v. 6. 1. Johan. 2. v. 6. Adde & Augustini sententiam *non ex officiis, sed ex finibus sunt discernende virtutes*. Atqui Ethnici non habuerunt finem præcepti, *quæ est charitas, &c.* teste Apostolo 1. Tim. 1. 5. E. opera Ethnicorum non fuerunt sine peccato.

114. Veri-

114. Veritate ita clarissime proposita, & ex fontibus Israë-  
 lis confirmata, videamus, nunc oportet rationes ex Scripturis, ex  
 quibus, quæ testimonia contra nos detorquere conatur Bellar-  
 minus. Redigit ad sex maximè classes lib. 5. de grat. & libero arbi-  
 trio. cap. 18. Prima CLASSIS testimoniorum, quæ præcipiunt  
 aliquid faciendum, vel non faciendum, ut præcepta Decalogi, &  
 alia: ex his ita colligit: *Frustrà lata est lex, quæ servari nequit. At  
 DEVS nihil agit frustrà: Ergò opera legis ab hominibus præstari  
 possunt.*

115. Respond. Propositio est infirma. Nam talis esse debe-  
 bat. Frustrà lata est lex, quæ præstari nequit, & quæ saltem ob  
 hunc finem lata est, nec habet alium usum. Atqui lex DEI non  
 tantùm habet pro fine obedientiam; sed alios maximè præcla-  
 ros fines quamplurimos: E. lex licet servari nequeat, non tamen  
 est frustrà lata.

116. Assumptio probatur. 1. Quia primarius finis legis est  
 patefactio divinæ voluntatis. Est enim lex voluntas DEI, Rom. 2.  
 v. 18. 2. Lex est pædagogus ad Christum, Gal. 3. v. 24. Rom. 7. 7.  
 Peccatum non cognovi nisi per legem. Unde insignis usus legis  
 est, ut cognoscamus, & ea, quæ amissimus bona, nostramq; mi-  
 seriam, & quaramus subsidia gratiæ. Præterea, non absolutè im-  
 possibile est implere legem DEI. Siquidem rectè ita concludit-  
 tur: Qui Christum habet, habet justitiam, & impletionem legis.  
 At omnes fideles habent Christum. Ergò habent legis impletio-  
 nem, & justitiam. Major. Quia Christus factus est nobis justitia.  
 Cor. 1. v. 30. *In Christo Iesu dum sumus, impletur justificatio  
 legis in nobis, qui non secundum carnem, sed secundum spiritum  
 ambulamus.* Rom. 8. 4.

117. Deinde, vis tota hujus argumenti impingit in regu-  
 lam Theologicam. A PRÆCEPTO AD POSSE NON VA-  
 LET CONSEQUENTIA, quæ quàm sit vera, intelliget corda-  
 tus exsequentibus. Homo carnalis non potest præcepto spiri-  
 tuali satisfacere, teste Apostolo Rom. 7. ex oppositione carnis &

G

spiri-

Spiritus, Rom. 8. Atqui homines non renati sunt tantum carnales. Ergo non possunt legi DE I satisfacere. Lex enim spiritualis est. Quod itaque homo, qui creatus erat perfectus & spiritualis, suâ culpâ factus fuit carnalis, & peccator, id non mutabit voluntatem DE I æternam, & immutabilem. Et DEVS, quàm iustissimè exigit debitum hoc, à sua creatura rationali. Quod ut rectius percipiatur, pia mens alius secum expendat exemplum, Matth. 18.24. de debitore, qui non erat solvendo. Iustè exigit quis debitum, licèt ei, qui debet, nec teruncius superfit. Atqui debitores legis sunt homines, & creatura creatori debet obedientiam, & honorem. Ergo creator iustè exigit debitam obedientiam, licèt nullæ etiam vires superfint.

118. II. CLASSIS testimoniorum, quæ cum conditione aliquid promittunt, Esa. 1.19. Amos 5.14. Matth. 19. 17. ita colligit. *Id quod sub conditione promissionis verè proponitur, est in nostra potestate. Id enim proprium veræ conditionis est, ut dependeat ab arbitrio eius, cui proponitur. Atqui proponuntur præcepta quedam sub conditione promissionis. E. præcepta quedam sunt in hominum potestate, & libero arbitrio.*

119. Resp. Probatio majoris, ut & major evertit ipsam Scripturam, & simpliciter Pelagiana est. Nam hoc posito. Omnis conditio dependet ab arbitrio eius, cui proponitur, subsumo. Conversio est quædam conditio, quæ hominibus proponitur. E. conversio ad DEVM dependet ab arbitrio hominis. Conclusio manifestè absurda est, & contradicit directè Apostolo Rom. 2. ult. Circumcisio cordis in spiritu (non litera) cujus laus non ex hominibus, sed ex DEO est.

120. Quare alterutra præmissarum falsissima. Atqui assumptio itidem est Sp. S. Esa. 30. v. 6. *Si revertamini, & quiescatis, salvi eritis.* Hic salutis est conditio, proposita hominibus ipsa conversio. Item Rom. 11.19. *Si credideris in corde tuo, quod DEVS Dominum Jesum excitavit à mortuis, servaberis.* Fides hic est, ut conditio proposita. E. Fides dependet à libero arbitrio hominis, quæ tamen est donum DEI. Eph. 2. 9. *nec est omnium.* 2. Thess. 3.2.

121. Ad assumptionem: fit confusio status. Nam quæstio est de hominibus non renatis, ad quos non pertinent promissiones Evangelicæ, applicatæ per fidem. Unde notanda venit distinctio promissionum. 1. quædam dicta habent promissionem legalem, ob externam legis obedientiam, de qua hîc non agitur. 2. Quædã habent promissionem Evangelicam, quæ ostendunt, non quid ex nostris virib<sup>9</sup> possimus, sed monstrant, qua ratione ad Christũ pervenire queamus, nimirum ordinem veræ conversionis, quod vel ipse Bellarm. de grat. & lib. arbit. lib. 5. minimè negare audet. Tandem ad dictum Matt. 19. 17. (quod fusiùs deducit Jesuita) Si vis ingredi vitam, serva mandata. Respondeo. Est hoc dictum legale eius generis, quod potiùs naturæ humane corruptionem demonstrat, quàm potestatem arbitrii. Nam contextus hujus loci monstrat Christum arroganti huic adolescenti, quantum deesset perfectionis ob oculos posuisse, eò quod iussit ipsum vendere omnia, quod mandatum cum tristitia excepit juvenis, & abiit. Adde & hoc, adolescens erat circumcisus, & membrum Ecclesiæ, habebat beneficia gratiæ, & media, Verbũ nimirum, & Sacramenta. De hujusmodi hominibus non est quæstio hoc in loco.

122. III. CLASSIS testimonia ralia complectitur, quæ docent, per hominem stare, quo minùs malè agat, & peccata vitet. libro 5. de gratia & libero arbitrio cap. 20. Dicta, quæ adducuntur, sunt hæc, Num. 14. vers. 43. Deut. 30. vers. 11. *Mandatum, quod ego precipio tibi hodiè, non supra te est.* Esa. 5. vers. 4. Jerem. 7. v. 28. Matth. 23. v. 37. *Quoties volui congregare filios tuos, & nolui.* Act. 7. *Semper Spiritui Sancto resistitis.* Ex his ita argumentatur Cardinalis: *Vel potest is, qui peccat, non peccare, vel non potest. Si potest, habet liberum arbitrium faciendi opus legis, si non potest, frustra queritur DEVS de homine, quasi per illum steterit, quo minùs benè egerit, cum ipse aliter facere non potuerit.*

123. Respondeo. Falsum est consequens, quod elicit ex primo membro assumptionis. Nam hoc sequitur: Si potest non-

peccare, & servare præcepta DE I, vel ex gratia poterit, vel ex viribus naturæ. Atqui ex gratia; per hanc enim facimus bona opera, & sumus creati ad bona opera in Christo Jesu. Eph. 2. v. 10. Ergò non ex libero arbitrio, seu viribus naturæ potest non peccare. Et per gratiam destruitur corpus peccati, videlicet caro, quæ servit peccato. Rom. 6. v. 6. Rom. 7. 23. Ad dicta in specie, fieri confusionem statuum, reponimus. Nos enim consideramus hominem ante omnem gratiam, in statu peccati. Bellarminus adducit dicta, quorum aliqua loquuntur de hominibus regeneratis, & in Ecclesia DE I, qui habent Verbum, & Sacramenta.

124. Ad illud igitur, Deut. 30. v. 11. ex Apostolo Rom. 10. v. 6. & 7. respondemus. Propè est verbum in ore tuo, & in corde tuo, h. e. est verbum fidei, quod prædicamus, inquit Apostolus, est itaque locus hic Evangelicus. Si autem placuerit Bellarmino vocabula (non est supra te) ita explicare, non est supra vires tuas naturales, jam vicit Pelagius, quod absit; & sequitur hoc absurdum. Præceptum, quod præcipio, non est supra vires tuas naturales. At præceptum est in versu præcedenti 6. Diliges Dominum tuum ex toto corde, & ex tota anima tua. Ergò diligere DE VM ex toto corde, & ex tota anima, non est supra vires naturales hominis non renati. Quod in Scholis Jesuiticis, nisi absurdum fuerit crassissimum, Pelagiani erunt crassissimi, & Spiritui Sancto in os obloquentes Jesuitæ.

125. IV. CLASSIS Testimoniorum, quæ docent recedere DE VM quasi ab homine, & explorare, quid homines faciant, & quorsum studia sua convertant, Deut. 8. v. 2. Deut. 13. 2. *Tentat vos DEVS noster, ut videat, si diligatis eum in toto corde. Atqui frustra exploraret DEVS, nisi homines possent facere, & non facere. Ergò possunt facere, & non facere præcepta, seu diligere DEVM ex toto corde.*

126. Respondeo. Non ferit statum quæstionis. Nam si conclusio ita efformetur, ut sit directa contra nos, erit. Ergò homines

nes non renati possunt diligere DEVM in toto corde, quod pronunciatum Theologo indignissimum. *Nam nemo potest Dominum vocare Jesum, nisi in Spiritu Sancto.* 1. Cor. 12. 3. Accedit itaque hoc, quod hæc dicta loquantur de populo DEI, & hominibus renatis. Deinde, quæ dicta loquuntur de utilitate crucis, & usu calamitatum in cordibus piorum, ea non loquuntur de viribus naturalibus hominis infidelis. At hæc dicta clarissimè loquuntur de utilitate calamitatum in cordibus piorum. Ergò non loquuntur de viribus hominis infidelis naturalibus. Assumptio probatur. Nam loquuntur de *donis* & probatione fidei, *quæ sunt utilitates crucis*, Esa. 28. v. 19. Roman. 5. v. 3.

127. V. CLASSIS Testimoniorum, Gen. 4. 7. Eccl. 15. v. 14. Ex primo loco (Gen. 4. 7. *Quare iratus es? & cur concidit facies tua? Nonne si benè egeris, recipieris: si male statim in foribus peccatum aderit: sed sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius*) aliquot collegit argumenta contraria. 1. Quare iratus? cur concidit vultus tuus. *Hæc interrogatio indicat, Cainum potuisse non irasci, non tristari.* Respondeo. Concedimus totum. Nam in externis illis affectibus moderandis, habere hominem LIBERVM ARBITRIVM, quis negavit?

128. 2. *Nonne si benè egeris, recipieris: si male, statim in foribus peccatum aderit? hic expressè dicit, qd possit benè agere Cain.* Resp. Cainum nescivisse pmissionem de semine benedicto, qd dixerit? Deinde ex Hebræo ita vertenda sunt illa verba. Nonne si benè feceris, venia erit? & si non benè feceris, ad ostium peccatū cubans. Missis hinc aliorum explicationibus, dicimus, hoc in loco esse concionem pœnitentiæ. Vocat DEVS Cainum ad pœnitentiam, ex qua vocatione eadem ratione licet colligere potestatem liberi arbitrii naturalis, & carnalis hominis, qua absurditate ex invitatione Joannis Baptistæ ad pœnitentiam, Matth. 3. v. 2. Pœnitentiam agite, &c. quis colligeret homines ex viribus humanis, & naturalibus posse agere pœnitentiam.

129. 3. *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius. Qui potest dominari appetitui, is habet potestatem, ut non regnet in mortali corpore peccatum. Atq; hoc dicitur posse Cain. E. habet potestatem.* Resp. Si Propositio accipiat de externis, concedimus; dicente Apostolo: Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt. Rom. 2. 14. Proinde nos affirmamus, esse concionem pœnitentiæ, nec oratio hîc est indicativa, sed imperativa: quia præcipit *DEVS*, ne laxet frœnum, sed reprimat peccatum.

130. Ex quibus mandatis non colligitur facultas virium naturalium (ut supra demonstravimus) Nam etiam Apostolus sanctissimus dicit, quòd sit venundatus sub peccato, Rom. 7. 14. Quare vel de externo appetitus dominio intelligendum est, quoad vires naturales, vel explicanda hæc oratio, ut reliqua Præcepta Decalogi imperatoria, quæ monstrant, non quid possimus, sed quid jam non possimus, & quid potuerimus, quæq; ducunt ad Christum, & ad gratiam. Vide Apostolum Rom. 7. & Gal. 3.

131. Hoc sit responsum Jesuitæ. Sed ad textum ipsum quod attinet, quem aliqui propter affixa masculina, quæ præcedenti fœminino  $\text{הַבְּשִׁטָּה}$  in genere grammatico non respondent, mirè torquent, sciendum; Mosen ex natura Linguae in participio  $\text{כֹּבֵד}$  nomen conjugatum  $\text{הַבְּשִׁטָּה}$  vel simile aliud involvisse: quasi ita diceret, peccatum est bestia cubans. Quod nomen conjugatum, cum masculinum sit, etiam participium, & sic sequentia quoq; affixa masculina esse oportuit. Sensus itaq; & constructio talis est: Peccatum est bestia cubans, quam habes sub dominatu tuo.

132. *Alter locus, DEVS ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui.* Eccl. 15. 14.

133. Respondeo. Hic locus expressè loquitur de homine primitus creato, quem non poterit dicere, peccatorem, & in statu amissionis gratiæ fuisse, Bellarminus, de quo hic sermo est. 2. Liber non est Canonicus.

134. VI. CLASSIS continet aliquot loca. i. ut Deut. 30. v. 15. Considera, quòd hodiè proposuerim in conspectu tuo, vitam & bonum, mortem & malum, ut diligas Dominum DEUM tuum. Resp. Suprà in classe tertia, inconvenienter contra nos hunc locum detorqueri, satis demonstravimus ex Apostolo, & ex evidentissimis absurdis. Vanum igitur est, quod obtendat Bellarm. se non videre, quid responderi possit. Nam omninò cœcus sit oportet, si planissimam, & veram Apostoli explicationem, & interpretationem Rom. 10. v. 6. & seq. non videre possit.

135. II. Locus Josuæ cap. 24. v. 15. *Eligite hodiè, cui servire potissimum velitis.* Resp. Alloquitur Josua populum DEI, homines renatos, & verbo DEI instructos; non infideles, qui sunt extra Ecclesiam, & earent omnibus mediis gratiæ. Quare extra oleas vagatur Jesuita.

136. III. Locus Ecclesiastici cap. 31. v. 10. *Qui potuit transgredi, & non est transgressus, & facere mala, & non fecit.* Ad hunc locum, ne verisimilis quædam responsio locum habere potest. Respondeo. 1. Est liber non Canonicus. 2. Loquitur hic locus de divite, qui non abutitur suis divitiis. Non agit de operibus legis præstandis absque peccato. 3. Versionem suam Jesuita ne verisimilem quidem reddere potest. Sic enim, ad verbum habet Ecclesiasticus: cap. 31. v. 8. Beatus dives, qui inventus est sine macula, & qui post aurum non abiit. Quis est hic, & beatum dicemus eum? Fecit enim mirabilia in populo suo. Quis probatus est in illo, & perfectus est, & erit in gloriationem? Quis potuit transgredi, & non transgressus est, & facere malitiam, & non fecit. Quæ verba magis amplificant hominum malitiam, quàm vires commendant.

137. IV. Locus 1. Corinth. 7. 37. *Qui autem statuit in corde suo, firmus non habens necessitatem: potestatem autem habens suæ voluntatis, &c.* Respondeo. Concedimus per omnia, quantum ad hunc locum attinet, nam loquitur de matrimonio, de re externa, civili, & politica, non spirituali. In rebus autem  
civi-

civilibus humanæ rationi subiectis, hominem esse liberi arbitrii nullus *ἁθεόδοξος* unquam negabit. Loquitur etiam de Christianis renatis, non infidelibus, quod posteriora hujus capituli verba sufficientissimè probant.

138. Post dicta Scripture, pro more etiam rationes, & argumenta Bellarmini ex ratione petita, contemplabimur. Adfert autem pro sua sententia lib. 5. de grat. & libero arbitrio cap. 9. rationes binas, quas breviter percurrere volumus. Prima ratio. *Si opera facta sine fide semper essent peccata: vel deest illis circumstantia finis: vel quia homo à quo fiunt, est peccator, &c. Atqui nihil horum dici potest. Ergò nec semper sunt peccata, vel cum peccato conjuncta opera infidelium.* Respondeo. 1. Plures sunt causæ, quas Apostolus enumerat: 1. Tim. 1. 5. ut fiant de corde puro, conscientia bona, fide non ficta, & hæc jam ad propositionem dicta sufficiant. Assumptionem probat per membra, & quidem primum membrum. Opera videlicet infidelium sine fide facta, non esse peccata, siquidem iis non desit circumstantia finis, probat hunc in modum. 1. *Qui potest cognoscere DEVM esse, & curam sui gerere, is habet finem boni operis moralis. Atqui infideles possunt cognoscere hoc. E. infideles habent circumstantiam finis operis moraliter boni.*

139. Respondeo. Propositio est falsa, propter falsum finem præcepti moralis. Hunc verò ita describit Apostolus 1. Timoth. 1. v. 5. *Finis præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bonâ, & fide non fictâ.* Atqui nulla opera infidelium habent pro fine has circumstantias finis. Nam ab his *aberrantes infideles conversi sunt in vaniloquium, non intelligentes, neque quæ loquantur*, 1. Tim. 1. 6. & 7. & tamen gentiles habent cognitionem, esse DEVM. Ergò infideles, qui habent cognitionem, esse DEVM, non statim habent circumstantiam finis boni operis, seu præcepti moralis. Porro *ἁθεόλογον* agit, & gentilem potius, quàm Christianum Bellarminus, quando asseverare non erubescit. *Non est necesse omnia in DEVM referre explicitè, sat is est, si opus refe-*

referatur in sinem proximum: Tunc enim per se dirigitur in DEVM, ut in ultimum sinem. Quod si effutiret homo gentilis, sane absque correptione à Christiano pio non esset dimittendus. Nam primario omnia referenda sunt ad DEI gloriam, secundario ad ea, quæ sunt hominis. Nam primum, & summum est præceptum: Diliges Dominum DEVM tuum ex toto corde tuo, Matth. 22. 37. & tabula secunda cedat tabulæ primæ, huc pertinet illud Apostolorum, Actor. 4. v. 20. DEVM potius audiendum, quàm homines. Item Coloss. 3. v. 17. *Omnia quæcunque facitis, facite in nomine Jesu, gratias agentes DEO.* Exempla etiam testantur, quòd DEVS, si arrogent gentiles sibi, non DEO, gravissimè punierit, id peccatum, ut est Sennacherib. 3. Reg. 19. v. 17. & Nabuchodonosoris, Dan. 4. 28.

140. Sententiam suam de implicita ad DEVM relatione ulterius probat argumento (ut putat ipse) ab absurdo. *Si actio, quæ non fit in gloriam DEI, est peccatum, etiam peccarent sancti, & renati, quando non cogitant inter operandum de DEO. At consequens absurdum. Ergò & antecedens.* Respondeo, si planè non cogitant de DEO, nec ex charitate faciunt, omninò peccant etiam renati, in quantum hoc faciunt, unde semper in hac vita concurrunt peccata. *Quia tamè nulla est condemnatio, his, qui sunt in Christo Jesu,* Roman. 8. 1. etiam hæc illis, perfidem, condonantur. Alia est ita queratio in renatis, quatenus ex carne; & alia ratio, quatenus ex spiritu, secundum interiorem hominem operantur: Illo modo, teste Apostolo, quiritante & exoptante se liberari à corpore mortis, non desunt peccata: Hoc verò modo ex fide fiunt, & ex charitate, renatorum opera, & sunt bona.

141. Secundum membrum. Opera infidelium non esse mala propter personam, & hominem peccatorem, qui agit, ita deducit: *Opus inquinatur à malitia cause, quando ab ipsa malitia procedit. At quædam opera infidelium ex bono nature procedunt.* Ergò quædam opera infidelium non sunt coinquinata. Respond. Opus etiam inquinatur, quando à malo subjecto procedit, licèt

H

non

nō ex malitia proficiscatur, ut patet ex Pl. 50. 16. Ubi displicet Deo etiam in laus dicta ab impio, sic enim dicit Dominus impio: *Quare tu recitas statuta mea? & assumis testamentum meum per os tuum.* &c. Quatenus autem gentes etiam, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt: catenus isthæc opera Deo placent. Rom. 2. 14.

142. Ad assumptionem; Aliud bonum Physicum, & aliud quidem bonum esse Ethicum: sed quia opera moralia ex corde inquinato progrediuntur, omninò inquinata sunt. Et sanè quid est, quod asserere non vereatur, *ipsam substantiam quidem cordis inquinari à malitia suorum operum, contra verò opera cordis non inquinari à malitia cordis?* Quid alit monstri? nam ipse Salvator expressè dicit, Matt. 15. 18. *Ex corde progrediuntur mala cogitationes,* & Apostolus Tit. 1. v. 5. *Infidelibus nihil est mundum* (reddir rationem) *inquinata enim sunt eorum mens & conscientia.*

143. II. Argumentum ex ratione ab absurdo. *Si nullum opus infidelis fieri posset absq; peccato: melius esset non facere, quàm facere mandata. At absurdum est consequens. E. etiam antecedens. Rationem connexionis hanc addit. Nam faciendo peccaret, non faciendo, non peccaret.*

144. Resp. Nulla est consequentia, & probatio est inconueniens. Mandatum namque vult, ut fiant opera. E. omninò peccant, qui non faciunt demandata opera. In iudicio quidem spirituali, in ordine ad iustitiam divinam, & spiritualem, eadem est ratio peccati, siue erogat quis eleemosynas modo illegitimo, siue non erogat, quod videre est ex Matt. 6. 3. ubi increpat Christus, & obijurat Phariseos. In genere tamen semper melius est facere opera, quàm planè non facere, licet in faciendo concurrant peccata. Nam opera conformia legi Dei, quoad externam obedientiam, habent promissiones temporales, & quandam bonitatem, sed tamen non spiritualem: totalis autem negligentia, nullam nec bonitatem, nec remunerationem habet.

145. Huc

145. Huc usque de argumentis Bellarminianis, jam responsiones, ad argumenta, quæ Pontificiam hanc vanitatem impugnant, examinabimus. Exceptiones autem, & vanas, & numerosas, excogitare voluit. 1. Producit argumentum (quod dicit esse Chemnitii) ex dictis Scripturæ, Esa. 1. v. 14. *Incensum abominatio est mihi, solennitatesq; vestras odit anima mea.* Esa. 66. 3. *Qui immolat bovem, quasi qui interficiat virum.* Prov. 15. 8. *Sacrificium impiorum abominatio.* Argumentum potest esse tale. Si opera impiorum, optima etiam intentione cultus divini, & in honorem DEI instituta, coram DEO sunt abominatio, multò magis ea opera mala erunt, quæ carent hac specie boni. At antecedens est verum ex dictis Scripturæ. E. etiam consequens. Ad hoc argumentum regerit Jesuita distinguendo *inter sacrificia, & opera moralia.* Et quidem (inquit) nihil mirum est, si sacrificium impii DEO non placeat, quippe quod non ritè offertur. At opus morale, ut eleemosyna in pauperem, non habet pro fine, nisi egenti opem ferre, ad quem finem consequendum nihil pertinet puritas, vel impuritas vite, & conscientie eius, qui eleemosynam facit.

146. Resp. Plurima absurda cruciat simul Jesuita. Nam distinctio inter sacrificia, respectu LEGIS, & cultus divini; & inter opera moralia, seu legem moralem, ad eò est inepta, ac si quis totum, & partem ita contradistinguere velit, ut de parte id affirmare audeat, quod de toto dicere nequeat; siquidem lex moralis, & legis opus, non tantum includit tabulam secundam, sed etiam primam, vel fatente ipso Bellarmino. Deinde, notum est ex præcedentibus, negare Jesuitam, bonum morale posse cum peccato fieri. Et inquit Apostolus Jacobus: *Quicumq; offendit in uno præcepto, factus est omnium reus.* Jac. 2. : 10. *At fatente, & concedente Bellarm. impii offendunt in sacrificio, & præcepto primario.* E. etiam infideles omnium præceptorum sunt rei, & sic nullum facere possunt opus bonum morale absque peccato: nam ubi reatus, ibi peccatum, & qui omnium reus est præceptorum, peccat in omnia.

147. Nec exigua est impudentia, qua asseverare audet, eleemosynam habere saltem pro fine, ut egenti opem ferat: hic fi-

nis est secundarius, primarius est gloria DEI, omnium bonorum operum, juxta illud Matth. 5. 16. *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in caelis est.* Sic quoque, & hoc acceptamus, quod causam (ob quam sacrificia impiorum coram DEO sint abominatio) notet hanc, quod non ritè offerant, nec ritè sacrificii opus præstent impii. Similis ratio est in erogatione eleemosynarum: Quicumque non ritè erogat, displicet DEO, & peccat. Atqui infideles non ritè erogant eleemosynam. Ergò infideles in erogatione eleemosynarum peccant. Assumptionem docet Salvator, Matth. 6. 1. Ubi modum rectè erogandi eleemosynas præscribit, & etiam propter patrem in caelis hoc fieri debere multoties inculcat. Omnia itaque in argumento Jesuitico falsa. Nam finis præcepti divini, est caritas de corde puro, & conscientia bona, fide non ficta, à quibus aberrant infideles. 1. Tim. 1. 6.

148. Secundò ad argumentum ex cap. 6. v. 5. Gen. tale extractum. Cujus omne figmentum imaginationum tantum est malum, illud non potest esse bonum. At infidelis omne figmentum imaginationum tantum est malum. Ergò non potest esse bonum, excipit Bellarminus, *Scriptura tribuit omnibus, quod convenit majori parti.*

149. Respondeo. Hæc explicatio parit sententiam contradictoriè oppositam Scripturarum sensui & verbis; nimirum, quoddam figmentum cordis humani, seu imaginationum hominis non est malum. Inepta quoque est responsio. Nam additur: Omne figmentum est tantum malum, & repetitur hoc idem. Psal. 14. v. 4. & Rom. 3. v. 10. Omnes inutiles facti sunt peccatores, non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum.

150. Tertiò ad illud, quod Rom. 3. v. 10. ex Psalmo 14. dicitur: Non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum. Respondet, distinguendo inter bonum, & ita interpretatur. *Nemo est, qui justè vivat servando totam legem moralem: at de bono morali opere esse intelligendum, negat.*

151. Re-

151. Respondeo. Antea quoque ex Jacobo didicimus capite 2. 10. Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus. Quam multò magis reus erit utriusque præcepti, qui in reliqua præcepta omnia impingit, seu qui in plura impingit. Vanum itaque *κενοφύγρον* est, quod quarit in distinctione *boni operis, alicujus legis moralis, & operis boni, totius legis moralis*: Nam in relatione bonitatis eius, quæ sit coram DEO iudicio absque omni peccato, perpetua catena est omnium totius legis præceptorum. Notetur & hoc, jam dicit, libenter fatemur, omnes homines in statu peccati esse inutiles ad opera facienda, quæ DEO placeant, at, cap. 9. in explicatione dicti Hieronymi contendit, sine fide aliqua opera non solum sancta fieri, sed & sanctè fieri: conciliet hæc contradictoriè opposita, sanctè & non sanctè fieri; sanctè fieri, & non placere DEO.

152. IV. Ad argumentum ex Jeremiæ cap. 17. v. 9. Pravum est cor hominis, & fraudulentum præ omni re. Reponit Jesuita, nihil ex hoc sequi testimonio, contra opinionem Romanam; Nam, inquit, *non dicitur cor pravum, & fraudulentum, quia nihil boni moralis facere possit; sed quia in corde est fons, & origo malorum*. Deinde, subsidium quarit in sancta lingua, dicens: *Verti posse vocem (pravum) profundum אַרְפֵּי* & sic nihil effici contendit.

153. Respondeo. Sophistam hîc Cardinalis agere voluit, dum ea, quæ plana sunt, & firmissima, ac si essent nullius pensæ, contemnit. Repetimus autem, ut robur argumenti appareat, argumentum in tali forma: Quod præ omni re malum est, illud bonum esse nequit. At cor hominis malum præ omni re, quod in Hebræo idem est, ac pessimum. Ergo bonum esse nequit. Hoc ipsum, Paulus dicit, *infidelibus nihil est mundum, sed inquinata eorum mens, & conscientia*, Tit. 1. 15. Voculam אַרְפֵּי Hebræam quantum attinet, mallet Jesuitam probasse, rectius verti per profundum. Et sanè per pravum rectius verti, ipse contextus evincit. Sed esto! non tam juvat Jesuitam, quàm impu-

gnat, si maximè profundum, seu quod potiùs ipsa vox Hebraea, si ex origine sua iudicetur, velle videtur, tritum, q. calcaneo impressum, vel supplantativum (ut habet Arias Montanus) admiserimus, nam nomen **קָלָפָא** unde descendit, significat calcaneum, hinc **קָלָפָא דֹּלֹ** dolo pertritum, fraudulentum. Et Esa. 40. vers. 4. **קָלָפָא דֹּלֹ** dicitur, quod pravum, curvum est. Acceptamus quoque, quod dicit in corde esse originem, & fontem **omnis mali**, ex quo fonte bona promanare posse, quis dixerit?

154. Quintò ad argumentum. Quod natum est ex carne, caro est, Joh. 3. 6. excipit, atque ita interpretatur, & pervertit verba Christi: *Non sufficit natum esse semel ex homine: nam homo nihil aliud, quàm hominem gignit. Sed nascendum est iterum, idq. ex DEO. Addit, non autem debet homo renasci, quia sit totus carnalis, & nihil possit facere, nisi opera carnis, sed, quia per primam generationem non habet ESSE, nisi naturale & humanum: indiget autem ESSE divino & supernaturali, ut possit dici, & esse filius DEI.*

155. Resp. Quàm commoda (scilicet!) hæc sit, & contorta interpretatio, & perversio dicti ac verborum Christi (Agite!) Considerent quæso omnes pii, & cordati Christiani. Talis est collectio. Quod ex homine nascitur, est **homo**. E. homo opus habet regeneratione ex aqua & spiritu, seu ut baptizetur. Quis hinc non desiderat medium concludendū? Quid hoc est dicere? Non sufficit natum esse ex homine. Absurdum sequitur hoc. Qui est homo, debet renasci, opus habet Baptismo. In statu integritatis Adam fuit homo. Ergò debuit renasci, & baptizari, Jesuitico cerebro digna est hæc explicatio, hoc est, falsissima dicti Christi perversio. Adde & hoc. Annon inepta locutio? Qui homo est, est homo.

156. Missis his nugis, quid sit, ex carne natum esse, ex Scripturis discimus, Johannes I. 13. **EX VOLUNTATE CARNIS, & ex voluntate viri NATOS** dicit vers. 5. **TENEBRAS**; Et V. 10. **MUNDVM** vocat, quem idem Evangelista, & Apostolus in I. Epist.

157. *cap. 5. v. 19. totum in maligno positum esse, docet. Apostolus Paulus Rom. 7. 14. Ego carnalis, inquit, venundatus sub peccato. Nam malum operor (explicat) v. 18. Non habitat in carne mea bonum. Et v. ult. Carne servio legi peccati. Sic dicitur Rom. 8. v. 9. Qui vivit IN CARNE DEO placere nequit (secundum Cardinalem nostrum, qui est homo, DEO placere nequit, cum tamen homo sit ipsa optima creatura DEI, & bona, secundum substantiam) & vers. 13. Si secundum CARNEM vixeritis, moriemini.*

157. Certum itaque est, quod homo ideo renasci debeat, quia est totus carnalis: & nihil potest (in spiritualibus maxime) nisi opera carnis facere. Quod abunde satis colligitur ex c. 6. v. 6. Epistol. ad Rom. ubi dicitur: *veterem hominem crucifixum, & mortuum esse, ut destruatur corpus peccati. Et Eph. 4. 22. Vetus homo corrumpitur, secundum desideria erroris. Ad Gal. 5. 17. Caro & carnis desideria sumuntur pro eodem. Dico autem in Christo, spiritu ambulate, & DESIDERIA carnis non perficietis. Caro enim concupiscit adversus spiritum. Quare ex his manifestum erit, quod homo, quatenus in hac corrupta natura, naturali generatione nascitur, totus sit carnalis, & nihil possit, nisi opera carnis. Usus vero Baptismi, & quare homo carnalis renasci debeat, monstrat Apostolus Rom. 6. v. 4. *Consepulti sumus cum Christo per Baptismum in mortem, ut destruatur corpus peccati, ut ultra non serviamus peccato, & in novitate vite ambulemus, justificati a peccato. Est enim Baptismus lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti. Tit. 3. 6. in remissionem peccatorum, Act. 2. 38.**

158. Sexto ad argum. ex Johan. 15. v. 15. Sine me nihil potestis facere; regeit Jesuita; loqui Christum de operibus ad salutem. Respondeo. Notetur confessio, quod homo ex naturalibus viribus, in operibus ad salutem, nihil possit, & sane hoc nos volumus. Est quoque locutio generalis, de omni bono opere, quod DEO placere possit in iudicio spirituali. Et hoc quidem

dem ipsum evincit vocula N I H I L, quæ excludit omne bonum. Stat itaque immota veritas huius argumenti. Qui nihil boni potest, sine Christo, is nec ullum bonum opus potest sine Christo. Atqui filius iræ, homo tantum carnalis, nihil boni potest sine Christo. Ergò homo carnalis, nec ullum bonum opus facere potest.

159. Septimò ad argumentum: ex Rom. 14. ultim. Omne quod non est ex fide, peccatum est, excipit Jesuita. *Loquitur Apostolus de fide, qua credimus aliquid licitum, quæ etiam conscientia dici potest: non qua credimus in Christum.*

160. Resp. Concessio, quòd de conscientia, & certitudinis fide, illic loci loquatur Apostolus: certum tamen, & indubitatum manet, pronunciatum Epistolæ ad Hebræos: Sine fide impossibile est placere DEO. Heb. 11. 6. Qua, cum homo carnalis destituatur; bonis etiam operibus, qualia legis perfectio requirit, sine dubio destituitur.

161. Octavò ad argumentum ex Eph. 4. vers. 17. 18. & 19. Testificor in Domino, ne ambuletis, sicut aliæ gentes in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vita DEI, &c. regerit denuò, vanum illud effugium, distinguendo *inter opera omnia, & opera plurima: & inter opera vana ad fidelitatem, & non ad bonitatem, seu justitiam legis, & ait: Apostolus vult non omnia opera infidelium esse cum peccato; sed plurima esse mala, & immunda; omnia saltem esse vana ad veram felicitatem.*

162. Respondeo. Apertè contradicit Scripturæ hæc explicatio dicti. Nam quando Apostolus dicit v. 19. Gentes se tradiderunt impudicitia in operationem OMNIS immunditiae. Jesuita dicit, tradiderunt se in plurima mala; quædam tamen faciunt bona opera & pura. Omnia autem vana esse opera fatetur ad veram felicitatem, quod acceptamus. Nam hic est status quaestionis. An opera gentilium verè bona coram DEO sint absque peccato? quod expressè hoc in loco negat Apostolus, & dicit:

Gentes

Gentes vixisse in operatione OMNIS immunditiæ. Et Tit. 1. 15. Infidelibus NIHIL esse mundum, docet. Quare manet argumentatio firmissima. Cujus opera omnia immunda, & quibus nihil est mundum, illorum opera non sunt absque peccato, & purè bona. Atqui infidelium omnium opera talia. E. Infidelium opera omnia, non sunt absque peccato, nec munda.

163. Nonò ad argumentum ex 2. Tim. 2. v. ult. Resipiscant à Diaboli laqueis, à quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem, excipit Cardinalis. *Dicuntur teneri laqueis Diaboli captivi; non quòd cogantur facere quicquid Diabolus vult; sed quia non possunt suo arbitrio ab illa captivitate liberari.* Resp. Acceptamus Jesuitæ confessionem: *Homines Diaboli laqueis captivos, arbitrii viribus liberari non posse.* Et quanta hujus argumenti vis sit, liquet. Nam cujus quis captivus est, eius servus est, & obedit ei. 2. Petr. 2. 19. At infideles sunt captivi Diaboli. E. infideles sunt servi, & obediunt voluntati Diaboli, & faciunt peccata.

164. Decimò ad argumentum ex Tit. 1. 15. Inquinatis & infidelibus NIHIL est mundum, sed inquinatè sunt eorum mens, & conscientia, excipit Bellarm. *Non universaliter posse accipi voculam NIHIL; sed de cibis determinatè sumendam probat. Quia aliàs etiam in precedentibus, omnia munda mundis, ita esset accipiendum; omnia opera justorum esse justa, quod negat. Quare ita limitanda esse, ait, verba: In ordine ad salutem consequendam, omnia opera infidelium sunt peccata, quatenus ex infidelitate procedunt.*

165. Resp. Particula NIHIL est omninò universalis, & hoc in loco idem enunciat, quod Genes. 6. 5. Omne figmentum imaginationum hominis tantum malum. Etenim atexit Apostolus. *Confitentur se nosse DEVM, factis autem negant.* Non dicit tantum de cibis, sed expressè exponit, quam iniquationem intelligat, nimirum etiam factorum. Veritatis hanc evidentiam animadvertens Jesuita, aliud subsidium quærit, in limitatione particulæ OMNIS, quam restringit ad infidelitatem, quatenus ex

I  
infi-

*infidelitate procedunt opera.* Ex hac restrictione argumentor: Omnia opera impiorum, quatenus ex infidelitate procedunt, sunt peccata. At omnia opera infidelium, quatenus tales, ex infidelitate procedunt. E. Omnia opera infidelium, quatenus tales, sunt peccata. Major est Bellarmini. Assumptio patet. Quippe nulla apud infidelem est fidelitas. Quare omnia infidelia, & inquinata, & carnalia. Sunt enim infidelitas, & fidelitas immediate opposita.

166. Quis autem spiritus vertiginis agat Jesuitam, non satis assequor. Negat hic opera omnia justorum esse justa, alibi verò tenaciter, & operosè, contra Verbum DEI clarissimum, contendit, justos implere totam legem DEI. Sciendum itaq; Omnia dicuntur munda mundis, non ppter inhærentē habituale mundiciem, ut Jesuitæ somniant, sed per imputationem, & fidem in Christum, eiusque perfectissimam justitiam, juxta Scripturas, Roman. 8. vers. 1. *Nulla est condemnatio his, qui sunt in Christo Jesu.* Roman. 6. vers. 11. & Hebr. 1. vers. 3. *Locutus est nobis DEVS in filio, qui per seipsum purgationem peccatorum nostrorum fecit, &c.*

167. Undecimò ad argument. ex I. Johan. 2. v. 16. Omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, &c. Regerit, *per mundum, intelligi amatorem mundi, & sensum extorquet hunc amatorem mundi, ut talem, nihil esse, nisi luxurie, avaritie, & superbie deditum.* Respondeo ex ipso Johanne v. 15. huius cap. Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt, ubi expressè, tam ipsum mundum; quàm ea, quæ in mundo sunt, fugienda dicit *conjungendo, non contradistinguendo, mundum ab eis, quæ in mundo sunt, quod idem dicit I. Joh. 5. 19. Totus mundus in maligno positus est,* ubi omnes includuntur homines mundani. Non est igitur quod contradistinguat inter mundanos, alios amatores, alios non amatores mundi. Nec est, quod recurrat ad *objectum mundi.* Nam loquitur de concupiscentia, quæ est in homine, non in objecto quaerenda.

168. Ha-

168. Hactenus varias exceptionum rimas perreptavimus; placet apposuisse quasdam assertiones Jesuiticas, atque ex iis etiam ipsum refutare conabimur Cardinalem. Notentur hæc contradictiones. *Observatio secundum substantiam operis requirit, ut sic præceptum observetur, ne committatur peccatum.* Bellarminus libro 5. de gratia, & libero arbitrio, capite 6. *Potest servari præceptum secundum substantiam operis etiam cum peccato,* eiusdem libri capite 9. Ergò observatio secundum substantiam operis est cum peccato, & non cum peccato. Conclusio absurda, utraque propositio est Bellarmini.

169. *I I. Observatio secundum substantiam operis non potest esse cum peccato,* libr. 5. cap. 6. *Observatio externi operis, videlicet abstinere manum à cade, à furto, potest esse cum peccato,* libro quinto, capite quarto. Ergò observatio externi operis, non est observatio secundum substantiam operis, quod tamen vult Cardinalis lib. 5. c. 5.

170. *I I I. Majus quiddam est facere bonum morale, quàm servare præceptum.* cap. 9. *Atqui homo potest ex viribus nature facere bonum morale.* cap. 9. *Præceptum sine gratia DEI servare nequit.* cap. 5. Ergò homo, ex naturalibus viribus, majus quiddam potest, quàm cum gratia Spiritus Sancti. Conclusio absurda.

171. *I V. Homo omnia mandata servare potest,* cap. 5. *in principio. Homo non potest servare omnia mandata.* Ergò potest servare omnia mandata, & non potest servare. Assumptio bis reperitur libro 5. capite 4. sub finem, & libro quinto, capite 5.

172. *V. Homo sine gratia DEI non potest servare præceptum, ut non peccetur.* capite 5. Homo infidelis est sine gratia DEI. Ergò homo infidelis non potest facere bonum opus morale, ut non peccet.

173. Strophis Jesuiticis ita detectis, immota est doctrinæ puritas, quæ sonat in nostris Ecclesiis. Hominis non renati opera,

etiamsi in iudicio hominum bona; tamen in iudicio DE I spiri-  
tuali (ob personam, quæ est filius iræ; & ob finem præcepti defi-  
cientem, quæ est *charitas*; & denique, ob reliquas boni operis  
circumstantias, ut sunt *bona conscientia, fides non ficta, &c.*) esse  
immunda, DE O non perfectè placere: sed esse semper cum pec-  
cato conjuncta, & tum demum grata; quando homo ex aqua &  
spiritu regeneratus, ex spiritu agit, & ex fide, ad gloriam DE I cre-  
atoris, secundum novum & interiorem hominem, *non ex volun-  
tate viri, sed ex voluntate, & Spiritu DE I natum*, Joh. I. v. 13.

Q V Æ S T I O Q V I N T A.

A N H O M O E X N A T U R A E V I-  
R I B V S E T I A M A L I Q U I D C O N F E R R E P O S S I T  
ad opus Conversionis?

174. Hominem in statu peccati non posse facere bonum  
opus morale absque peccato, demonstravimus. Proinde alte-  
ram, & quidem Palmariam cum Pontificiis quæstionem jam ag-  
gredimur. Status quæstionis hic est: Annon homo in statu pec-  
cati, filius iræ, aliquid, vel minimum etiam, possit conferre ad sui  
conversionem: & utrùm ullas (quocunque etiam nomine veni-  
ant) voluntas humana carnalis habeat vires operantes, ad actum  
conversionis. Nostræ Ecclesiæ negant, in rebus spiritualibus vo-  
luntati naturali ullam adesse virtutem, ut potius contumax re-  
pugnet, & inimicitia statuatur ad versus DE VM. Hoc tamen ser-  
vato, in bonis Politicis habere LIBERTATEM, & in rebus ter-  
renis nonnullas vires, quod experientia luculentissimè demon-  
strat, & confirmat.

175. Pontificii, quamvis aliàs communiter affirmant, &  
ex animo sentiant, *homines habere aliquas vires ad opus conver-  
sionis, sed non sufficientes, ideoq; requiri gratiam, quæ voluntatis  
vires naturales perficiantur*: Bellarminus tamen ab hac opinio-  
ne vi-

ne videri vult alienus, lib. 6. de grat. & lib. arb. cap. 9. ubi dicit, non rectè tribui Romana Ecclesia, quod aliquid in spiritualibus voluntas hominis non renati possit. Unde & tales ponit assertiones. Non potest voluntas humana aliquid velle in iis, quæ ad pietatem, & salutem pertinent, sine auxilio gratiæ DEI. Item. Non potest homo ex propriis viribus ad gratiam se disponere.

176. Jesuitam fugitivum, ut protrahamus è latebris (Agite!) arctius nodum quæstionis constringamus, & sit quæstio: Utrum homo nondum renatus, quando excitatur gratia divina præveniente, habeat in se vires aliquas, sive facultatem aliquam DEO assentiendi, cooperandi in motibus, & actionibus spiritualibus? Nos negamus, Bellarminus affirmat. Evidentiæ majoris ergò, insuper & hoc addimus: Mens humana ità per peccatum est obscurata, ut non modò, non percipiat ea, quæ sunt spiritus DEI, sed & ipsi stultitia sit, & voluntas ita inimicitia sit adversus DEVM, ut legi DEI se non submittat, nec subijci possit, hoc est, libera facultas cognoscendi, & volendi res spirituales, est MORTVA, & vires NULLAS habet reliquas, ne minimas etiam ad conversionem salutarem.

177. Bellarminus lib. 6. de grat. & lib. arbit. c. 11. rectè dictum contendit. *Liberum arbitrium in actione credendi, & diligendi attenuatum quidem esse, non tamen extinctum, ac per hoc operari posse opera pietatis, si adjuvetur à gratia.* Item, *DEVS non efficit ipsum velle, sine nobis cooperantibus, consentiendo. c. 14.* Item: *Habet homo ante omnem gratiam potentiam remotam, & imperfectam ad opera pietatis faciendam, ibidem cap. 15.*

178. Missis jam variis GRATIÆ distinctionibus, unicam hanc saltem cautelam præmittimus, de gratia præveniente, eam Bellarminus ità explicat. Vocat internam suasionem, pulsum DEI foris degentis. Nam expressè dicit: *Gratia excitans, seu præveniens nihil est aliud, quàm suasio, quæ non determinat voluntatem, sed inclinatur per modum proponentis objecti.* lib. 6. de grat. & lib. arbitrio, cap. 15. Non itaque CONVERSIONEM intelligit,

nec ullam MUTATIONEM subjecti, sed tantum commotionem,  
& exuscitationem à somno peccati. lib. 1. c. 2.

179. Est itaque hæc sententia Cardinalis, quam & defendere cupit multis argumentis: *Voluntas humana ante OMNEM GRATIAM, habet potentiam remotam, & imperfectam ad opus conversionis salutaris.* Hanc esse falsam opinionem, & contrariam (quæ negat omnes vires etiam imperfectas) verissimam, jam primum probabimus argumentis firmissimis.

180. I. Quod est mortuum, illud ad vitam, nullam, nec remotam, nec imperfectam habet potentiam. At voluntas hominis est mortua spiritualiter. E. homo, nullam, nec remotam, nec imperfectam habet potentiam ad vitam spiritualem. Propositio est certissima. Nam mors totalis privatio facultatum vitalium, non relinquit aliquas facultates. Assumptio Rom. 6. v. 6. Eph. 2. 1. Coloss. 2. v. 13. *Vos cum MORTVI essetis in delictis, & præputio carnis vestrae.*

181. Ad hoc argumentum, ut videatur aliquid reposuisse Bellarm. & majorem, & minorem concedendo ita dicit: *Ex morte sequitur non posse mortuum suis viribus vitam recuperare, sed non sequitur peccatorem prævenienti gratia excitatum & adjectum, DEO non posse cooperari.*

182. Respondco. Quæstio est, an homo peccator habeat vires, seu potentiam remotam vel imperfectam ad vitam spiritualem. Hoc negamus, & stat nostrum argumentum firmissimè. Quod verò crepat gratiam prævenientem, fumos vendit. Nam voluntas mortua saltem excitata, vel est determinata ad vitam, vel adhuc in morte sua. Atqui per gratiam excitantem, secundum Bellarminum, non est determinata. Ergò voluntas etiam (post gratiam prævenientem) per eam excitata, solummodò est adhuc in morte sua, & non potest cooperari. Assumptionem probo. Quia juxta Bellarminum (ut supra annotavimus) gratia excitans NON determinat voluntatem, sed est saltem motio, FORIS pulsans cor peccatoris.

183. Hoc

183. Hoc figmentum figmento crassiore onerat, vel ornare cupit, & propositionem nostram ita limitat. *Mortuum cadaver, quod nullum vitæ genus retinet, nullo modo cooperatur ad suam vitam, vel sui resurrectionem. At qui non omni vitæ genere homo peccator est mortuus. E. homo peccator potest cooperari ad sui resurrectionem. Assumptionem probat: quia vivunt peccatores vitæ naturali. Proinde non ut mortui poterunt, sed ut vivi, uno genere vitæ cooperari ad suam vivificationem.*

184. Resp. Enormiter impingit Jesuita. Nam propositio illa, vera esset, si de vitis subordinatis (quarum altera in altera fundaretur, mutuaq; & subordinatæ facultates essent vitales) non v. de contradistinctis, & diversis sermo esset. Quare hoc modo Syllogismum Jesuiticum inverto. Mortuum cadaver, quod nullū vitæ genus retinet tale, ut habeat potentiam ad amissum, & ablatum vitæ genus, illud nullam habet potentiam cooperandi ad vitam amissam. At homo peccator, spiritualiter mortuus, est tale mortuum cadaver spirituale, quod nullum vitæ genus retinuit, in quo vitæ genere esset potentia quædam ad amissum vitæ genus spirituale. E. homo peccator non potest cooperari ad vitam spiritualem amissam, & nullam habet potentiam.

185. Propositio probatur. 1. Contradistinctum habet contradistinctas potētias. Ubi nulla potentia, ibi nulla operatio. Assumptio patet. Nam vitæ genus spirituale, & carnale non sunt subordinata, sed contradistincta, ut opponitur vita carnalis spirituali, Joh. 1. 3. *Non ex sanguinibus, neq; ex voluntate carnis, sed ex DEO nati sunt.* 2. Sic quoq; non esset regeneratio, si una vita, & præfertim spiritualis, ab altera dependeret. 3. Carnalis vita per vitam spiritualem destruitur. 4. Tandem sequeretur & hoc absurdum: Actio, potentia, & vitæ naturalis, est quoq; naturalis. At Conversio est operatio, ex potentia vitæ carnalis (ad sui conversionem, seu ad vitam spiritualem) vitæ, & potentia naturalis, *ex sententia adversarii.* E. Conversio erit actio naturalis, & vita spiritualis, naturalis, quod absurdum.

186. II. Argum. Quod est opus solius DEI, & ad quod cogitandum operandumque nulla planè est (*inavórys*) habitudo in voluntate, & mente humana, ad id non potest esse imperfecta, vel remota potentia. At conversio salutaris est opus solius DEI. E, in homine ad conversionem nulla potest esse, nec remota, nec imperfecta potentia ad actus spirituales. Propositio manifesta: Nam ubi omnis negatur hominis potestas, ibi quædam non admittitur. Assumptio probatur multis, & clarissimis Scripturæ dictis. Phil. 2. v. 13. *DEVS operatur in nobis VELLE, & perficere.* Ezech. 36. 26. *Auferam à vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum.* Psal. 51. v. 12. *Cor mundum crea in me DEVS.* & 2. Cor. 3. 5.

187. Excipit Bellarminus, & ex vocula SUFFICIENTIÆ quandam potentiam, & virtutem ad actiones spirituales ita elicere fatagit. *Absurdum est de eo, in qua nulla planè potentia est, dicere, non sufficere ad actum aliquem. At de infidelibus dicitur, quòd non sufficiant. E. absurdum, quòd infideles nullam planè habeant potentiam ad res spirituales.*

188. Respondeo L. Vanissimum esse hoc commentum, vel Apostoli verba clarissima oculariter demonstrant, quando directè opponitur, non ex NOBIS, sed ex DEO. 2. Omnis error in vocula SUFFICIENTIÆ latet (*inavòs & inavórys*) quam Bellarminus accipit pro eo, quod aliquas vires habet, sed non tantas, quantæ requiruntur. Hanc autem significationem vocibus Apostolicis contra omnem planè scopum attribui, pro palàm est; quum expressè hîc instituat OPPOSITIONEM inter hominem, & DEVM; non DISTRIBUTIONEM perfecti, & imperfecti. Et esto! Alicubi in tali significatione reperiri voces (*inavòs & inavórys*) tamen hoc in loco ex contextu talis sensus distributionis excluditur. Nam negato omni, etiam minimum negatur. At qui ex nobis negatur omne, quâ ex nobis, & omnia solùm ex DEO, & tantùm. E. non aliquid ex nobis, sic namque non omne esset ex DEO.

189. Rectissimè igitur tenebimus hunc sensum: Non sumus

mus idonei vel apti, & omnis nostra aptitudo ex DEO. In hac significatione, qua *inavós* sumitur pro idoneo, & apto, & *inavóτης* pro aptitudine, & dignitate, reperitur, & est omnino in usu. Matt. 3. 11. Matt. 8. 8. Luc. 3. 16. Luc. 7. 6. 1. Cor. 15. 9. *Non sum inavós vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam DEI.* 2. Cor. 2. 16. & hoc ipso in loco, v. 6. *Qui idoneos nos fecit ministros inavóσεν ημᾶς Διανόως.* Applica huc explicationem Cardinalis, & erumpet hæc Propositio. Habuimus quidem aliquas vires ad ministerium Novi Testamenti, sed non tantas, quantæ requiruntur. Quis non dixerit absurdam talem assertionem; naturalem esse in nobis ad opera ministerii potestatem. Nam sunt opera creatoris sanctissima, ad quæ ex nature viribus in creatura, nulla potest esse potestas.

190. III. Qui nihil potest in opere conversionis, ille non potest aliquid. At homo peccator ante regenerationem, in spiritualibus NIHIL potest, & nullam habet potentiam ad actum conversionis. Ergò homo peccator ante regenerationem non potest aliquid, nec habet aliquam, nec imperfectam potentiam, ad opus conversionis salutare. Propositio est evidentissima. Nam aliquid, & nihil contradictoriè oppositi sunt termini. Assumptio clara est ex dictis Joh. 15. 5. *Sine me NIHIL potestis facere.* Hoc dictum ipse Bellarminus ita explicat, *ut sonat nostra assumptio*, lib. 5. de gratia, & lib. arbitrio, cap. 10. in responsione ad argumentum nonum. Item: Heb. 11. 6. *Impossibile est placere DEO sine fide.*

191. Fundamenta fidei jecimus validissima; pro more pergendum nobis est ad argumenta Bellarmini opposita. Quod ut fiat rectius, hæc excludimus quæstiones alienas. 1. An homo habeat quasdam voluntatis vires Physicas? nemo negat. 2. An homo habeat quasdam virtutes voluntatis Ethicas, neque hoc in politicis rebus humane rationi subiectis, unquam negavimus; quin potius contra Calvinianos libertatem, & liberum arbitrium in his externis defendimus. 3. An homo plus habeat virium,

K

quàm

quàm lapis aut brutum? Hoc quis negabit? nisi truncus. Aptitudinem namque in homine recipiendi operationes DEI astruximus, quæ habitudo, nec in lapide, nec in bruto poni debet, vel potest. Ex aptitudine autem hac PASSIVA, quomodo ACTIVAM potentiam quisquam colligere possit, profecto omnis cordatus mirabitur! & ridebit. Hinc elucet, quo sensu, pio & sano, Lutherus dixerit, voluntatem humanam in actu conversionis non habere se activè, sed passivè.

192. Quò minùs autem error committi possit, quilibet  
 1. Assertionem, quam Bellarminus suis argumentis probare, & confirmare nititur, in omnibus & singulis membris diligenter observet. 2. Simulac verum statum quæstionis supra positum, nec patiatur confundi statum humanæ naturæ, *secundum*, cum statu *tertio*, qui est reparationis, & renovationis. Nam in statu secundo *corruptionis*, negamus omnem omnino cooperationem in operibus ad salutem. In statu verò tertio *restorationis*, aliquam cooperationem concedimus cum Scripturis.

193. Assertio Bellarmini hæc est, *DEO se ad vitam revocanti hominem peccatorem cooperari*, libr. 6. cap. 13. *Et consentire ad voluntatem pertinere dicimus, vocationem quidem non esse in nostra voluntate, sed CONSENSIONEM esse nostre voluntatis*, cap. 11. Argumenta ex testimoniis redigit ad certas classes.

194. I. CLASSIS est testimoniorum Scripturæ, in quibus homines dicuntur, in ipsis operibus pietatis *operarii, edificatores, plantatores, rigatores, cooperatores, & coadjutores DEI*, unde ita colligit Jesuita: *Qui vocantur cooperatores, & coadjutores DEI in spiritualibus, illi non tantùm ducuntur ut instrumenta, sed propriè agunt per liberum arbitrium. Atqui homines vocantur cooperatores, & coadjutores DEI in spiritualibus. Ergò non ut instrumenta passivè ducuntur, sed propriè agunt per liberum arbitrium in spiri-*  
*tuali-*

tualibus. Assumptionem probat dictis Matth. 20. vers. 8. *Voca operarios, & redde illis mercedem.* 1. Corinth. 3. vers. 6. *Ego plantavi, Apollo rigavit, sed dedit DEVS incrementum;* & vers. 8. *Unusquisq; autem propriam mercedem accipiet: DEI enim sumus cooperatores.*

195. Respondeo ad propositionem, distinguendo: alius est cooperator, & coadjutor ex se, suisque viribus: alius ex donata gratia divina. Quæstio autem est de cooperario, cuiusque libero arbitrio ex nature viribus, non quatenus per Christum liberatum est. Proinde ita limitanda erit propositio, si stare debeat. Qui homines, quâ tales, vocantur cooperatores in spiritualibus, habent liberum arbitrium, & habent se activè. Atqui quidam homines vocantur cooperatores in spiritualibus, non quâ homines, sed quâ gratia donati sunt. E. homines, quâ tales, ex nature viribus, non habent se activè, nec liberum arbitrium. Propositio est verissima. Quicquid dicitur de re, suo respectu dicitur. Assumptio certissima. 1. ex verbis Paulinis 1. Corinth. 3. vers. 7. *Neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, DEVS:* & vers. 10. *secundum gratiam, que data est mihi. Manet itaq; distinctio: alia naturalis: alia gratiosa virtus.*

196. Assumptionis probationes sunt inconvenienter allata, quia falsum subjectum posuit. Debuisset ponere (homo infidelis, non vocatus, ante regenerationem) pro subjecto: maluit cum generali voce hominis elabi: & quæso, quantum absurdum sequeretur? Omnes homines infideles per naturam esse ministros DEI, & plantatores. Ineptius & stolidius quid dici posset? Quare retinebimus propositionem Jesuitæ, & erit Syllogismus, vel planè absurdus, vel huc non pertinens. Qui vocantur cooperatores DEI in spiritualibus, ii habent liberum arbitrium agendi in spiritualibus. At homines infideles vocantur cooperarii, vel sic: Non homines infideles, sed renati vocantur cooperarii. Ergò homines infideles sunt

cooperarii, & ministri, & habent liberum arbitrium in spiritualibus, quod absurdum, vel homines renati habent liberum agendi arbitrium, quod concedimus in statu secundo. Porro dicuntur homines cooperarii secundum gratiam DE I, quæ data est, 1. Corinth. 3. v. 10. Atqui hominibus infidelibus non data est gratia. Ergo infideles non sunt, nec vocantur cooperarii. His ita dilutis, & præsuppositis, quid ex vocibus SVVM & COADIVTORES Bellarminus concludere possit, non video.

197. II. Argumentum primæ CLASSIS testimoniorum ex loco Rom. 8. 28. diligentibus Dominum omnia cooperantur in bonum. *Ubi DEVS cooperatur, ibi non solus operatur, sed & homines operantur. At DEVS cooperatur diligentibus se in bonum. Ergo non DEVS solus operatur, sed & homines sunt cooperarii.* Respondeo breviter, impertinenter huc detorquet dictum illud Bellarminus, quod enim de cruce, miseriis & calamitatibus pronuntiavit Apostolus, id ineptissimè Cardinalis, ad DEVVM applicat. Deinde, ex textu liquidò constat, quod de fidelibus loquatur. Dicit enim: *Diligentibus Dominum his, qui secundum propositum vocati sunt, omnia cooperantur in bonum,* Rom. 8. v. 28. Atqui infideles ante conversionem, non diligunt DEVVM, nec sunt vocati secundum propositum. E. Infidelibus DEVS non cooperatur, & infideles non sunt cooperarii.

198. SECUNDA CLASSIS testimoniorum, quæ imperant opera pietatis, & ipsam etiam conversionem ad DEVVM. Ex his tale extruit, & proponit argumentum: *Cuicumque DEVS opera imperat, is habet arbitrii libertatem in operibus præstandis. At omnibus hominibus DEVS imperat opera spiritualia, & conversionem. E. Omnes homines etiam non renati habent arbitrii libertatem in spiritualibus.* Propositionem confirmaturus Jesuita exemplum introducit hoc: *Nemo imperat, aut suadet homini, ut velit esse beatus aut miser, nisi quia novit, non posse hominem mente, & ratione præditum, non amare beatitudinem. Præcepta igitur, & suasiones non solam rationem, sed libertatem etiam in homi-*

hominibus esse demonstrant. Assumptionem probat itidem dictis  
Scripturæ aliquot, Zachar. i. v. 3. *Convertimini ad me, & ego con-  
vertar ad vos.* Joel. 2. 12. *Convertimini ad me in toto corde vestro.*  
Jer. 3. 12. Ezech. 1. 8. 32. Esâ. 1. 16.

199. Propositio, quæ est à mandato ad posse, in scholis, &  
foro Theologico, non est sana, sed Pelagiana, teste Augustino, li-  
bro de grat. & lib. arbitrio, ad Valentinum, cap. 16. *Magnum  
aliquid se scire Pelagiani putant, quando dicunt, non juberet DE-  
VS, nisi sciret ab hominibus posse perfici.* Respondemus itaque ad  
exemplum allatum Bellarm. ex eodem Augustino, DEVS jubet  
aliqua, quæ non possumus, ut noverimus, quæ ab ipso petere de-  
beamus. Porro, contra 2. Epistolas Pelagii, lib. 2. c. 10. *Nihil in  
Scripturis sanctis à DEO video, juberi homini, propter liberum  
arbitrium, quod non inveniatur, vel dari ab eius bonitate, vel  
posci propter adiutorium gratiæ demonstrandum.* Quare non ab-  
solutè sequitur: Lex divina præcipitur servanda homini. E. homo  
etiam non renatus legem DEI implere, & servare potest. Hoc  
namque ipse Bellarm. pernegat lib. 5. de gratia, & libero arbitrio,  
capite 6.

200. Ad testimonia Scripturæ in specie. 1. Ad dicta ex  
Zachar. i. v. 3. Joel. 2. 12. Jer. 3. 12. & c. Loquuntur hæc dicta de ho-  
minibus renatis, quæstio est de non renatis. Nam populum su-  
um alloquitur DEVS per Prophetam, unde addit v. 4. Ne fitis, si-  
cut patres vestri, ad quos clamabant Prophetæ priores. Deinde,  
exigunt hæc dicta in genere (ut & consimilia) & requirunt ab  
homine externam obedientiam, & disciplinam, illum nimirum  
ordinem, per quem mediante Verbo, & Sacramentis, DEVS o-  
peratur. Et profectò, illud maximæ gratiæ est, quod DEVS au-  
ditum, externum etiam verbi divini, ita ordinavit, ut pro sua im-  
mensa misericordia in homine, non pertinaciter reluctante, &  
contra omnem conscientiæ stimulum repugnante, operari ve-  
lit. Habent hæc, & similia præcepta hunc quoque usum pretio-  
sissimum prohibendi, & præcavendi, nè homines Spiritui San-

cto operanti, & convertenti obicem ponant, & obvertant, vel malitiosè externam quoque pædagogiam negligentes, vel eâ disciplinâ media DE I contemnendo, & illudendo, abutentes.

201. Tertia CLASSIS testimoniorum, quæ docent nos à DEO juvari in operibus pietatis, ex quibus ita argumentatur Bellarminus. *Is juvari propriè dicendus est, qui simul laborat in agendo. At homines dicuntur juvari à DEO. E. homines cooperantur DEO.* Assumptionem probat ex Psalmo 69. I. *DEVS in adiutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me festina.* Rom. 8. 26. *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram, nam quid oremus, sicut oportet, nescimus. Sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.*

202. Respondemus: Est confusio status in assumptionis subiecto. Quaritur enim, non de hominibus renatis, qui acceperunt spiritum adoptionis, Rom. 8. 15. Gratia & prectum, Zach. 12. v. 10. Hic namque est is spiritus, de quo dicit Apostolus, Gal. 4. 6. *Misit DEVS spiritum filii sui in corda vestra, clamantem, Abba Pater, in quo spiritu obfignati estis in diem redemptionis,* Ephes. 4. v. 10. De talibus hominibus, quos filius DE I liberavit, & non amplius dicit servos, sed amicos. Apostolus hoc ipso in loco Rom. 8. v. 26. & nos omninò sentimus, quod agant, & operentur. Verùm in hoc cardo vertitur. An homo infidelis, & servus peccati agat, quod nos negamus? Assumptionis itaq; subiectum debebat esse tale: At homines infideles dicuntur juvari, quam assertionem ista allata testimonia non probant. Cùm omnia loquantur de hominibus renatis. In prioribus de se loquitur ipse David. In posterioribus de se, & omnibus filiis DE I, liberatis à servitute, non servis, loquitur Apostolus.

203. Quarta CLASSIS testimoniorum, quæ docent hominem à DEO vocatum posse non venire, ex quibus ita argumentatur Cardinalis. *Qui potest vocatus ad DEVM non venire, & venire, is habet liberum arbitrium ad opera, ad quæ vocatur. At qui homines infideles possunt non venire, & venire. E. homines habent arbitrium liberum ad opera pietatis eligenda.* Assumptio-

nem probat. Prov. 1. 24. *Vocavi, & renuistis.* Matt. 23. 37. *Volui congregare filios tuos, & noluisti* Johan. 6. 68. *Vultis & vos abire?* Act. 7. 51. Apoc. 3. 20.

204. Respondeo ad propositionem, eam procedere ex falso principio. Nam ex repugnantia viribus, & libertate in malis spiritualibus, colligere etiam arbitrii libertatem in bonis, in hac nature corruptione, quis non novit absolum? Est itaq; nostra sententia, hominem habere liberum arbitrium in malis, h. e. sponte & non coacte peccare & resistere Sp. S. sed hoc est potius *SERVVM ARBITRIUM*. Est namq; talis homo servus peccati, juxta id, quod scriptum est Joh. 8. 32. Deinde, Sophistam agit Jesuita, quando libertatem ex utroq; opposito venire posse, & non venire posse (diverso tamē respectu oppositis terminis sumptis) evincere cupit. Nam per gratiam venire potest (ut ipse addit) h. e. habet talem naturam, quæ conversionis capax est, & ita venit ad Christum, quando Sp. S. convertit corda, & Pater trahit hominē. *Nam omnis, qui audivit, & didicit, venit ad me, & nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum,* Joh. 6. 43. & seq. Quare hunc in modum limitanda est maior, ut oppositio terminorum sit legitima. Is habet liberum arbitrium ad conversionis opus, qui potest ex nature virib<sup>9</sup> ad *DEVM* venire, & non venire. At homo non reatus, non potest ex nature virib. ad *DEVM* venire, potest tamen non venire, seu resistere. E. homo non reatus non habet liberum arbitrium ad conversionem salutarem.

205. Ad assumptionem, notandum. Hominem posse sponte & voluntarie resistere, & repugnare Sp. S. adeo quidem, ut nec velit, nec possit Sp. S. operari conversionem, in tantum dicimus, inquantū talis repugnantia sit denegatio externe discipline, in qua homo habet libertatem, quam præstare potest, & *DEVS* hanc etiam ex gratia ordinavit: ex qua ordinatione, licet aliàs ex se, & per se nihil conferat ad opus conversionis, hoc habet, ut mediante hac externa pædagogia, conversionis opus, promoveatur. Ex libertate tamen actionum externarum, internarum & spiritualium actionum libertas malè colligitur.

206. Hæc sunt argumenta Bellarmini ex Scripturis petita. Quanquam autem Jesuita, aliàs Pelagianus videri nolit, tamen eadem argumenta, quæ olim Pelagiani, eodem fine cum illis, contra veritatem proponit ex ratione, & quidem remittit lectorem ad rationes ad absurdum deducentes, in præced. lib. 5. cap. 14. ubi inveniuntur hæc.

207. I. *Peccatum aut est necessarium, aut voluntarium. Si est necessarium, non est peccatum. Si est voluntarium, vitari potest. Et proinde homo est liberi arbitrii in moralibus, quippe qui potest peccare, & non peccare.*

208. Respondeo. 1. Necessarium, vel absolute est tale, vel ex hypothesi. Illud rectè opponitur contingenti, & voluntario. At hoc quidem per se contingens est: Posita autem certa *ὑποθέσει*, est necessarium. Verbi gratia. Contingens est hominem deambulare. Posita autem hac *ὑποθέσει*, quod ambulet in actu, jam necessariò ambulat, necessitate data *ὑποθέσεως*. Parili ratione hominem peccare contingens est, respectu humanæ naturæ absolute. Verùm jam posita corrupta natura, ex hac hypothesi, prave naturæ, in statu peccati, homo non potest non peccare, & necessariò peccat, & tamen spontè peccat, & voluntariè peccat, ut ebriosus in bibendo voluntariè peccat, & tamen posito hoc habitu ebrietatis, vel intemperantiæ, ex hac hypothesi necessariò peccat. Quare mala fit oppositio necessarii, & voluntarii, nisi addatur necessariò, absolute, & simpliciter. Non igitur sequitur, si est necessariù, non est peccatum, ut nec illud, si voluntarium, igitur vitari potest. Nam cogitationes prave sunt voluntariæ, vitari tamen nequeunt in hac corrupta natura. Et peccatum originale est necessariò in infantibus, quod quando negat, esse propriè dictum peccatum, Bellarminus, nos adeò non credimus, ut vel hoc argumento contrarium probemus. Mors est stipendium peccati propriè dicti. At infantes mortem patiuntur. Ergò infantes peccatum habent propriè dictum. Propositio Rom. 6. ult. Assumptio per se patet.

209. II. Ar-

209. II. Argumentum ex ratione: *Ubi non est libertas arbitrii, ibi nec pœna, nec præmii erit locus.* Vel: *Ubi est pœna, & præmii locus, ibi est libertas arbitrii.* Atqui in homine est pœna, & præmii locus. Ergò in homine est libertas arbitrii.

210. Respondeo. Propositio est limitanda: Ubi est libertas arbitrii, ibi est æqualis ratio præmii, & pœnæ (nam non valet argumentatio ex terminis illegitimè oppositis.) Atqui in homine non est æqualis ratio præmii, & pœnæ in spiritualibus. Ergò in spiritualibus in homine nulla est libertas arbitrii. Propositio est manifesta. Nam libertas respicit utrumque, si itaque magis ad unum, quàm ad alterum oppositorum est determinata potentia, non dicitur libera. Assumptionem probo, quia in spiritualibus omninò ratio, & locus est pœnarum, sed non præmii; quia homo est debitor DEI, Rom. 8. v. 12. Fratres, sumus debitores, &c. & v. 18. Non sunt condignæ passionis hujus temporis ad futuram gloriam. Christus expressè hoc docet Luc. 17. v. 10. Si omnia feceritis, dicite, inutiles servi sumus. Concedimus itaque assumptionem, si loquatur de libertate in Politicis: & sic est ἐτεροζήτησις. Nam agimus nos de spiritualibus præmiis.

211. III. Argumentum. Si non est libertas arbitrii in hominibus, vel omnes æque mali, vel omnes æque boni sunt. At non omnes æque mali, nec omnes æque boni sunt. Ergò est libertas arbitrii in spiritualibus. Assumptio probatur: Quia alii aliis meliores, aliis peiores.

212. Propositio: Si addatur (in rebus Politicis) admitti potest, & sic assumptio simul stare potest. Atqui nos agimus de libertate spirituali. De libertate verò, & malitia, seu bonitate spirituali falsissima est Assumptio. Nam spiritualiter omnes homines æque sunt mali, in quantum nati sunt ex voluntate viri, adeò quidem, ut omnes eidem morti subiecti sint. Rom. 5. v. 12. *In omnes homines mors pertransit, & eandem peccati, & malitie pœnam communem habent*, ut ibidem v. 18. dicit Apostolus: *Per unius delictum in omnes homines in condemnationem.* Et huc usq;

nulla est differentia, teste eodem Apostolo, Rom. 2. 9. *Ira, & indignatio in omnem animam hominis operantis malum: Judæi & Græci. Non est enim ὁμοιωμένη ψυχή apud DEVM.* Rom. 3. 9. Demonstravimus (inquit Paulus) Judæos & Græcos omnes sub peccato esse, quia non est justus quisquam, ne unus quidem. Manet itaque omnes esse spiritualiter miseros, & æque malos, quamdiu bonitatem spiritualem, ex naturæ viribus, quis metiri velit. Alia a. ratio est hominis post conversionem: in his hominibus discrimen notū est. Renati, boni, ex gratia donata, non renati, mali.

213. Ad axioma illud (quod hîc producit Jesuita) *Electio divina, ut homines faciat bonos, prærequirit in hominibus libertatem arbitrii*, respondeo: hoc effatum in schola Spiritus Sancti est falsissimum. Quod ut pateat clariùs, perpendat pia mens, vocem Salvatoris Johan. 8. 36. *Si vos filius liberaverit, verè liberi eritis.* Atqui filius DEI, convertendo, donando gratiam Spiritus Sancti, qui accendit fidem, qua homo apprehendit, & applicat sibi, perfectissimum meritum Jesu Christi, liberat homines. Ergò ante conversionem, & gratiæ donationem non fuerunt liberi. Huc etiam pertinent testimonia Rom. 8. v. 29. & seq. Rom. 9. v. 11. & Eph. 1. v. 4. Quare malè dicitur, prærequiri libertatem ante fidem seu conversionem ex malo in bonum, quin potiùs firmiter tenendum, virtute informationis Christi, ipsam libertatem sequi fidem, ut effectus sequitur causam suam. Sic Augustin. lib. 1. de correct. grat. cap. 8. *Voluntas humana non libertate consequitur gratiam, sed gratiâ libertatem.* Et lib. de spiritu & gratia, cap. 30. *Per gratiam sanatio animæ est à vitio peccati; per animæ sanitatem libertas arbitrii.*

214. IV. *Sublatâ libertate arbitrii, etiam tolluntur objur-gationes, cohortationes, & consilia. Atqui consequens absurdum. Ergò & antecedens. Ratio consequentia. Quorsum enim ob-jurgationes? Si non aliter possunt homines facere, quàm faciunt.*

215. Resp. I. Malè instituitur collectio in Theologico foro à præcepto

cepto ad posse, ut supra demonstravimus. Unde & piè, & eruditè disputat Divus Augustinus libro de spiritu & litera; *DEVM non metiri sua precepta viribus humanis, quales jam sunt post lapsum, sed quales erant in justitia originali.* 2. Ipsam quoque probationem (quam hîc affert Jesuita) connexionis in majore Divus Augustinus rejicit, substituendo alium, eumque utilissimum monstrando adhortationum, & objurgationum usum, finemque; quando sic loquitur de libero arbitrio ad Valentinum, cap. 16. contra Pelagianos. *Ideo jubet DEVS ea, quæ non possumus, ut noverimus, quæ ab eo petere debeamus.* Est enim omninò præclarus objurgationum finis, ut nostram imbecillitatem agnoscamus, juxta dicta Apostolica Rom. 3. v. 30. Galat. 3. vers. 19. *Lex propter transgressores posita est, donec veniat semen, quod promissum est.* Sic enim per legem adducimur ad Christum, ut nimirum gratiam DEI imploremus, & quæramus Medicum in nostro hoc peccati morbo. Gal. 3. 24.

216. Hæc omnia, ut fiant illustriora, diligenter observari debet usus Scripturarum. Quippe Spiritus Sanctus in Scripturis ea, quæ ab hominibus in lege requiruntur, aliis in locis ipsi DEO attribuit, & solummodò accepta refert. Hinc illæ frequentes PHRASIVM PERMVTATIONES, ut Zach. 1. 2. *CONVERTIMINI ad me, & ego convertar ad vos.* Jer. 31. vers. 18. *CONVERTE me, & ego convertar,* quia tu Dominus DEVS meus, & (versu 19.) *Postquam enim CONVERTISTI ME, egi penitentiam,* Deuter. 30. vers. 6. *CIRCUMCIDET Dominus DEVS tuus cor tuum, ut diligas Dominum DEVM tuum.* Ezech. 18. 22. Item Ezech. 36. 26. Ps. 51. 12. Eph. 4. 23.

217. V. *Absurdum est non peccare eos, qui nolunt credere in Christum, aut nolunt converti à peccatis. Atqui homines, qui non habent liberum arbitrium, non possunt peccare. Ergò absurdum est non renat non habere eos liberum arbitrium.* Bellarminus lib. 6. de lib. arbitrio, cap. 12.

218. Respondeo, ad assumptionem per inficiationem. Est namque mala definitio peccati, quæ ex libero arbitrio negato tantum extruitur. Propriè itaque ex usu Scripturæ peccatum est (*ἀμαρτία ἐστὶν ἀνομία*) defectus à lege DEI. Ubi cunque igitur homo recedit à lege, & mandato DEI, peccat. At qui homo, licet non habeat liberum arbitrium, in statu peccati recedit à lege DEI. Ergò homo in statu peccati peccat. Quapropter enormiter errat Cardinalis noster, dum saltem peccatum ex ingenio humano satis crasse iudicat. Nam longè aliud est peccatum in Scriptura, & Theologia: aliud in Philosophia, quod semper esse debet præreticum.

219. His argumentis Bellarminianis adjiciemus quoque exceptiones, quibus rationes clarissimas orthodoxæ fidei onerare voluit, easque ad eandem limam verbi divini revocabimus. Habentur hæ exceptiones lib. 6. de grat. & lib. arb. c. 13. Ad locum Ezech. 36. 26. Auferam à vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum, Spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam, ut in præceptis meis ambuletis. Excipit Jesuita *liberum arbitrium, non est cor lapideum, neq. carneum, sed vis quadam media, quæ formam lapidis, hoc est, peccati duritiem, & formam carnis, id est, gratiæ teneritudinem, recipere potest.*

220. Respondeo: ipsa voluntas humana dicitur lapidea, non quidem eo modo, quod nullam planè habeat capacitatem, seu potentiam recipiendi passivam, ut, lapis: sed quod tam parùm ad sui conversionem agat, quàm lapis ad sui immutationem, imò, ut lapis ob duritiem habet vim resistendi, ita quoque voluntas humana est inimicitia adversus DEVM, & repugnat. Rom. 8. 7. Accepto autem id, quod subjungit Bellarminus, *voluntatem, quando propter peccatum, dicatur cor lapideum, non habere ex se potentiam, qua fiat carneum; & in eo similitudinem locum habere, quòd sicut lapis ex se non habet, ut cooperetur, si fortè convertatur in carnem: sic etiam LIBERVM ARBITRIVM ex se non habet, ut cooperetur ad sui ipsius conversionem seu liberatio-*

ratio

tionem. Quod verò addit: *Posse ante conversionem, recipere potentiam cooperandi per gratiam prevenientem, nunquam probatum faciet, quia ex sententia Bellarmini (ut supra adduximus) gratia preveniens non determinat voluntatem.* Ergò manet, quæ antea fuit. Stat itaque adhuc argumenti firmitas. Ut cor lapideum non habet potentiam, etiam remotam, & imperfectam, cooperandi, ad suimet immutationem in carneum; ita nec voluntas habet potentiam remotam agendi ad conversionem salutarem. Atqui lapis non habet potentiam remotam ad carnem. E. nec voluntas habebit aliquam, seu remotam potentiam ad actum conversionis.

221. Ad argumentum ex Psal. 51.12. Cor mundum crea in me DEVS, & spiritum rectum innova in visceribus meis, excipit Cardinalis. *Cor mundum creari, nihil aliud est, nisi cor ipsum mundari, atque purgari: quia non cordis substantia creatur, sed mundicies efficitur.*

222. Respondeo. Hoc ipsum volumus, quod ipsa mundicies ita efficiatur à solo DEO, ut creatio est solius DEI. Permanet itaque argumenti hujus vis inconcussa. In creatione subjectum, quod creatur, nullam habet potentiam etiam remotam, ad formam creatam (aliàs esset generatio.) Atqui voluntatis sanitas in conversione creatur. Ergò voluntas ad sanitatem eam, nullam habet potentiam. Quæ hic inserit Jesuita *de accepto semine divine gratiæ, quod cor post illud gratiæ semen acceptum cooperari possit ad pietatis opera germinanda.* Sanè, non carent dolo hæc verba, nam hominem renatum post conversionem habere potentiam, & vires cooperandi ad conversionis fructus, nos minimè negamus.

223. Ad argumentum ex Psal. 99.2. Ipse fecit nos, & non ipsi nos, regerit, loqui Psalmistam de creatione prima, quæ ad omnes homines pertinet. *Simul autem Davidem adhortari ipsos sanctos, ut pro hoc beneficio DEO gratias agant, & ideo addi in Psalmo, populus eius, & oves pascuæ eius, &c.*

224. Respondeo. Posito, non simpliciter excludi primam creationem, maximè tamen de regeneratione, & vocatione ad Ecclesiam in peculium suum, agit Propheta. Quod hac argumentatione confirmo. Perquam creationem DE I, homines in hac vita, post lapsum, vocantur populus DE I, & oves pascuæ eius, de ea creatione loquitur Psalmus hic. Atqui per regenerationem homines dicuntur nunc populus DE I, & per adoptionem oves pascuæ eius. E. Psalmus loquitur de regeneratione, & adoptione in populum DE I.

225. Excipit secundo, concedendo, esse sermonem hoc in loco de regeneratione: sed tamen, *ut creat homines justos infundendo habitum charitatis (ut ipse loquitur) respectu termini ipsius justificationis; ita respectu ipsius dispositionis ad justificationem, ipsi nos facimus.*

226. Respondeo. Falsissima hæc est glossa, utpote quæ directè contradicit Spiritui Sancto. Nam apertè & clarissimè dicit Psaltes. *Ipsè fecit nos, & non ipsi nos.* Jesuita dicit, ipsi facimus nos. Probatio hujus suæ glossæ consimiliter inconveniens est, ex Ezech. 18. v. 17. *Impius animam suam vivificabit.* Quæ verba ita explicat Jesuita: Impius seipsum faciet respectu dispositionis ad justificationem. Corruptela hæc est pessima, & Scripturæ contraria Johan. 15. v. 5. *Sine me nihil potestis facere:* & vers. 15. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos, ut eatis, & fructum adferatis.* Dictum Prophetæ Ezechielis quod attinet, includit, & subintelligit certum ordinem, quo impius animam suam salvare possit, nimirum si destiterit à peccatis, nec Spiritui Sancto pertinaciter repugnaverit, & externam pædagogiam, adhibuerit, per quæ externa operari conversionem DE O placuit ex mera gratia.

227. Ad argum. ex Johan. 6. 45. Omnis, qui audit à Patre, & didicit, venit ad me, excipit: *discere est persuaderi, & credere. Qui autem persuasus est, non potest non venire in sensu composito; tamen absolutè potest non venire, & non discere, nec persuaderi.*

228. Re-

228. Respondeo. Nihil planè respondet Jesuita. Et quidem explicatio posset admitti, quando vocem discere per credere vel persuaderi exprimit, nisi dolosè loqueretur. Nam per persuaderi non ille intelligit, fide salutari credere, immutari voluntatem humanam: sed monstrato objecto, per internam suasionem, quæ habet quandam potentiam insitam, & dispositam, credere, ut libro 1. de gratia & libero arbitrio sæpiùs hac phrasi utitur.

229. Ad argum. Ex Phil. 2. 13. [DEVS est, qui operatur in nobis, & velle, & perficere pro bona voluntate] regerit Bellarm. *Cùm DEVS operatur in nobis velle, non iuvat solùm, ut possimus velle, sed excitat, & iuvat, ut re ipsa velimus. Proinde, non facit hoc sine nobis, alioquin non diceret ibidem Apostolus, cum timore, & tremore salutem vestram operamini.*

230. Respondeo. Contorta hæc explicatio est, qua temerè Jesuita, pro voce operari, subaccipit, & admiscet suum iuvare. Quæ fit evidentiâ huius textus, patet. Nam, quod DEVS operatur, id non homo; (quando DEVS & homo opponuntur.) Atqui DEVS operatur velle; & hîc, homo, & DEVS opponuntur. E. DEVS operatur velle, & non homo. Porrò ex dicto loco, operamini vestram salutem, nihil omninò contra orthodoxam sententiam concludi potest. Nam alloquitur Apostolus non infideles, sed renatos, charissimos suos, quorum obedientiam versu præcedenti prædicat, & hortatur, ut in pietate perseverent, & gratiam ità conservando, salutem operentur. Sunt namq; hi ipsi, de quib. c. 1. huius Epist. v. 6. dicit. *Gratias ago DEO in omni memoria vestri. Confidens in hoc ipsum, quia qui cepit in vobis opus bonum, perficiet usq; in diem Jesu Christi.*

231. Plures, quas producat Jesuita exceptiones, vix habebit, vel ex tales erunt, quales omninò in præcedentib; discussæ fuère. Restat in hac quæstione, ut ex hypothefib; & assertionib; propriis Jesuitam refutemus, tum etiam luculenter deducamus Bellarm. esse Pelagianum; quum tam constanter & operosè, hunc errorem, maximè decantatum, à se remove non erubescat.

232. *I. Liberum arbitrium hominis non habet ex se potestatem ullam, ad actus pietatis*, lib. 6. de lib. arbit. c. 13. *At qui liberum arbitrium est libera potestas eligendi*. Ergò hominis non renati liberum arbitrium ad actus pietatis, non est liberum arbitrium. Assumptio est ipsius Bellarmini lib. 3. c. 3. & quidem liberi arbitrii ipsa definitio, seu genus.

233. *II. Conversio semper est in potestate liberi arbitrii (addit) id dicitur in potestate, quod adest, quando volumus, & abest, quando nolumus*. lib. 6. c. 15. *At qui liberum arbitrium non habet ullam ex se potestatem ad actus pietatis*. Ergò Conversio non est actus pietatis. Conclusio absurda, præmissæ Bellarmini.

234. *III. Hereticum est, posse hominem consentire prædicationi absq; illuminatione Spiritus Sancti*. Bellarm. lib. 6. de grat. & lib. arbit. cap. 15. sent. 4. *At qui conversio est semper in potestate liberi arbitrii*. Ergò in conversione non est consensus, seu non consentit homo prædicationi. Quod absurdum. Si enim non potest consentire, multò minùs poterit conversionem habere in sua potestate.

235. *IV. Gratia præveniens præparat voluntatem, & confert potentiam proximam, & perficit*, lib. 6. c. 15. Quæcunque gratia (ex sententia Bellarmini) non determinat voluntatem, illa: 1. nec ex nolente facit volentem. 2. nec præparat voluntatem. 3. nec proximam potentiam ad actus pietatis confert. 4. nec perficit, nec impellit voluntatem. Atqui gratia præveniens, seu excitans (ex sententia Bellarmini) est duntaxat suasio, quæ non determinat voluntatem, lib. 6. c. 15. sent. 8. E. Gratia præveniens nec ex nolente facit volentem, nec confert potentiam proximam, nec perficit.

236. *V. Homo ante omnem gratiam, habet liberum arbitrium, ad opera pietatis, & supernaturalia*. lib. 6. cap. 15. sent. 1. *Si quis dixerit hominem sine præveniente etiam gratia Spiritus Sancti credere, sperare, & pænitere posse, anathema sit*, ibidem sententia quarta ex Concilio Trident. Can. 3. allegat. *At qui homo an-*

mo ante omnem gratiam habet liberum arbitrium ad opera pietatis, dicit Bellarminus: Ergò anathema, &c.

237. VI. *Voluntas humana concurrit activè ad opera pietatis, & habet ex se potentiam activam*, lib. 6. cap. 15. sent. 2. *Voluntas humana in opere pietatis nihil omninò ex se facere potest*, lib. 6. cap. 15. sent. 3. E. voluntas habet potentiam activam, & non habet potentiam activam, hoc est, aliquid facere potest, & non aliquid facere potest in opere pietatis. Tam crassa sunt hæc absurda, vt satis arguant, quo ingenio vel genio assertiones hæc positæ sint; uno verbo dicam, Jesuitico.

238. Fiat jam collatio Pelagiani dogmatis, & Bellarminianarum assertionum, ut innotescat, quantum distent æra lupinis; Annòn Bellarminus ore Pelagii loquatur, eiusdemque Sophismata ex orco quasi revocata proponat, I. *Pelagius asseruit, omnibus hominibus naturaliter inesse liberum arbitrium, neque id per Adami peccatum perire potuisse. Item homines habere possibilitatem utriusq. partis à DEO insitam, velut quandam radicem fructiferam, teste Augustino*, lib. 1. cap. 18. de gratia Christi. Bellarminus ait: lib. 6. de grat. & lib. arbit. cap. 15. sent. 1. *Non potest dari liberum arbitrium, nec tolli per gratiam, nec tolli per peccatum*. Hujus enunciati rationem reddit Jesuita, ibidem. *Quia peccatum ledere potuit naturalia bona, non extinguere*: hanc si resolves sententiam, habebis, liberum arbitrium naturaliter inesse hominibus, neque per Adami peccatum perire potuisse, cui aperte contradicitur in cap. 1. Concilii Arausici.

239. II. Pelagianum argumentum est: *Nullum esse usum exhortationum, si in homine non sit libertas arbitrii, ut possit evitare peccata, & prestare obedientiam legis*. Idem argumentum etiam Bellarminus urfit lib. 5. c. 17.

240. III. Pelagius sentiebat: Liberum arbitrium posse obedire DEO vocanti. Augustinus contra duas Epistolas Pelagii lib. 4. c. 6. lib. 2. c. 5. & lib. 2. c. 8. *Homo suis viribus potest desiderare, & expetere conversionem, & ita consequi gratiam DEI*. Bellar-

minus dicit id ipsum, sc. *Conversionem esse semper in potestate liberi arbitrii, quæ conversio est actus voluntatis, quo vocationi DEI consentimus*: lib. 6. cap. 15. sent. 4. Augustinus Epist. 107. reprehendit Vitalem, eò quod dixerat, *consentire nostrum est*. Item Bellarminus lib. 1. de gratia primi hominis c. 4. sub finem. Item lib. 6. de grat. & lib. arb. c. 14. Suum vocando, nostrum sequendo.

241. IV. Pelagius in conversione causam agentem, voluntatem ponit. Augustinus de gratia Christi, lib. 1. cap. 14. *Quando ex libero arbitrio procedit voluntas cupientis, tunc datur Spiritus Sanctus penitentibus, quia venire in voluntate, & opere est*. Hoc idem affirmat Bellarm. qui voluntatem cooperari DEO contendit, lib. 6. cap. 14. sub finem. Et cap. 15. dicit: *Voluntatem concurrere activè, multisq; in locis*, non totum opus, sed auxilium vocat gratiam DEI, *quam gratiam*, liberæ voluntatis naturalem efficaciam perficere, & juvare, ibidem affirmat; imò refutare conatur, Chemnitium, eò quod contendat liberum arbitrium ita esse extinctum, ut cooperari nequeat.

242. V. Pelagianum est: ideò homo adjuvatur, quia velit, non velit, quia adjuvatur. August. lib. 4. c. 6. contra Pelagium. Et lib. 2. de Baptismo. Item de gratia Christi, lib. 1. c. 23. *Quando libero arbitrio ad Dominum currimus, & ab ipso regi nos cupimus, tunc demum datur Sp. S.* Quod idem Bellarminus eruètat lib. 4. c. 15. his verbis: *Ex quo sequitur, ut licèt in eodem prorsus momento temporis, & natura, DEVS, & voluntas operari incipiant, tamen DEVS operatur, quia voluntas operatur, non contrà.*

243. Pro confirmatione, & conclusione hujus nostri instituti adjiciamus Syllogismum talem: *Posse hominem omnia mandata servare, & vivere absq; peccato, ex relatione veterum, Pelagianum est*. Bellarm. lib. 5. c. 11. Atqui Bellarminus dicit: *Posse hominem omnia mandata servare parvo tempore*. lib. 5. c. 6. sub fin. E. Bellarminus, se Pelagianum esse, ipsemet fatetur.

244. Huic errori Jesuitico, valde affinis est, error Synergistarum, qui contendunt, licèt homo in initio nihil possit ad sui con-

ver-

versionem, quod tamen possit dare ex suis viribus consensum. Et sanè coincidit cum Jesuitismo in eo, quod hæc opinio activam aliquam potentiam voluntati tribuat; & sic rationem causæ quodammodo efficientis voluntati ascribat.

VI. QVÆSTIO.

AN HOMO FACTO INITIO CONVERSIO-

NIS A S. S. AD CONVERSIONIS ACTVM PERFICIENDUM, ex se aliquid possit.

245. Status Quæstionis. An homo habeat vires etiam languidas, ita quidem, ut quamvis initium non facere possit, tamen si Spiritus Sanctus initium fecerit, & hominem per Evangelium vocarit, annè tum LIBERVM ARBITRIVM propriis suis viribus DEO occurrere, & aliquo modo aliquid etiam ad sui conversionem conferre, adjuvare, sese præparare, & unà cum Sp. S. cooperari possit. Synergistæ affirmant. Orthodoxi negant, & omnem simpliciter ἐνεργειαν, vimque cooperatricem in ordine ad opus salutis, voluntati derogant: simulac, repugnantem, & reluctantem esse voluntatem humanam; donec conversa fuerit, & ex corde lapideo, carneum factum sit, ex sacris Scripturis pronunciant, & confirmant.

246. Confirmationis loco repetimus hîc nostrum argumentum ex Eph. 2. 1. & Rom. 8. 11. I. Ut se habet cadaver ad sui resurrectionem, ita se habet voluntas humana ad actum conversionis, juxta dicta. Atqui cadaver planè non habet se activè, & nullas habet vires, nec etiam languidas, sed tantùm se habet passivè. E. etiã voluntas humana se non habet activè, sed passivè, & nullas habet omninò vires, etiam minimas agendi, & concurrenti activè ad actum suæ conversionis.

247. II. Subjectum in quo, & materia, non concurrunt activè in mutatione. Atqui voluntas est subjectum in quo, & materia, quæ recipit conversionē, & mutationē. E. voluntas non concurrunt activè, nec etiam languidè ad conversionis actum, quando mutatur mala in bonam, repugnans in consentientem, infidelis in fidelem.

M 2

248. III. Quod

248. III. Quod subjectum repugnat voluntati DE I, & non potest se subicere legi, illud nec potest se præparare, & dispo-  
nere ad gratiam seu obedientiam legis divinæ. Atqui carnalis  
voluntas est subjectum tale. Rom. 8. 7. E. carnalis voluntas non  
potest se ullo etiam modo præparare, & disponere ad gratiam.  
DE I.

249. Argumenta Synergistarum principalia, ex verbo  
DE I petita, hæc reperiuntur. I. Ex Marc. 9. 24. *Qui petit sal-  
tem auxilium, & tantum hoc, ut succurrat DEVS, is non petit  
totum opus. Atqui Pater Dæmoniacy, notato loco, petit saltem au-  
xilium. E. Pater Dæmoniacy non petit totum opus.*

250. Respondeo ad Propositionem: Malè ex auxilii voce  
fit divisionis, & partitionis collectio. Missa tamen propositione,  
ad assumptionis subjectum notandum: alia est ratio hominis,  
qui nullum omninò donum habet Spiritus Sancti: alia verò ra-  
tio hominis, qui accepit quædam dona, eorumque perfectio-  
nem, & incrementum petit. Nam notum est ex Apostolo I. Co-  
rinth. 12. v. 3 *Nemo potest dicere Dominum Jesum, nisi in Spiritu  
Sancto.* Atqui hic pater Dæmoniacy dicit Dominum Jesum.  
E. hic pater Dæmoniacy habuit Spiritum Sanctum: Et sic quæ-  
stio est aliena. Nam sermo est de infidelibus, qui nondum acce-  
perunt Spiritum Sanctum.

251. II. Argum. Synerg. *Quæ Scriptura conjungit, ea con-  
junctim sumenda, non opponenda. Atqui Scriptura, in opere  
conversionis, gratiam, & vires humanas conjungit. Ergo, gratia,  
& vires humane conjunctim sumendæ, non opponendæ. Assumptio  
probat ex dictis Joh. 15. 5. I. Cor. 15. 10.*

252. Respondeo breviter: Quæ Scriptura opponit; op-  
ponenda, & non conjungenda sunt. Atqui Scriptura in dictis, &  
allatis testimoniis gratiam, & humanas vires opponit. E. Gratia,  
& humanæ vires opponendæ, non conjungendæ. Assumptio-  
nem probo Joh. 15. 5. *Sine me nihil potestis facere.* Particulam  
(sine) hîc esse disjunctivam, probo ex versu hujus capituli 16.

*Notæ*

*Non vos me elegistis, sed ego vos elegi.* Ubi est clarissima oppositio DEI, & hominum, divinæ, & humanæ electionis. Deinde, hæc oppositio magis confirmatur ex altero loco allegato, 1. Cor. 15. 10. *Non ego, sed gratia DEI, quæ mihi adest* (ἡ οὐκ ἐμοί) Quis hîc non videt accuratam oppositionem gratiæ divinæ, & hominis, seu humanarum virium? Tandem in priori dicto Joannis, vocula, nihil, excludit omne, & sic etiam quascunque vires humanas.

253. III. Arg. Synerg. ex loco Luc. 1. 13. *Quantò magis dabit pater Spiritum Sanctum petentibus. Qui habet facultatem petendi Spiritum Sanctum, is habet aliquam virtutem. Atqui infideles habent hanc facultatem. E. infideles habent aliquam virtutem, & facultatem ad conversionem.*

254. Respondeo. *Qui non habent Spiritum gratiæ, & precum, nec adoptionis, illi non possunt precari, nec à patre petere Spiritum Sanctum. Atqui infideles non habent Spiritum gratiæ, & precum, Zach. 12. 10. nec adoptionis, Rom. 8. 15. Ergò infideles non possunt à patre petere Spiritum Sanctum. Propositio firmissima est, Rom. 10. 14. Quomodo invocabunt in quem non credunt? Assumptio item Spiritus Sancti est, & probatur. Promissio hæc Spiritus Sancti facta est iis, qui petunt, & clamant, Abba Pater. Rom. 8. 15. 16. & 23. Atqui soli fideles, & renati filii DEI, qui signati sunt Spiritu ob signationis, clamant Abba Pater. E. soli fideles habent hanc Spiritus Sancti promissionem. Et sic omninò assumptionem falsissimam esse, & fieri confusionem status, demonstravimus.*

255. IV. Arg. Synerg. *Auditus fidei, est in nostra potestate, & nostrum opus. Atqui per auditum fit conversio. E. Conversio est in hominis nondum renati potestate, & nostrum opus. Assumptionem probant ex dictis Gal. 3. v. 14. Spiritum per auditum fidei accepistis. Act. 5. 32. DEVS dedit Spiritum Sanctum obedientibus sibi. Rom. 10. 17.*

256. Respondeo. *Auditus alius est externus, & sic in nostra est potestate; hoc autem respectu non semper est auditus fi-*

dei: sed auditus fidei dicitur effectivè, nò quòd à nobis, hoc opus præstatur, sed quòd à DEI singulari gratia ordinatus est ad fidem, ut medium aliquod. Aliud igitur auditus in quantum noster est, & aliud in quantum speciale gerit officium. Quatenus hoc officium habet, potest dici auditus fidei; quando operatur per auditum DEVS, illuminat, & convertit corda, & tandem Spiritus Sanctus in nobis habitare incipit. Etenim, nisi DEVS singulari planè gratia auditum verbi ita ordinasset, ut medium aliquod; sanè nūquam conversionis causa, quomodocunq; etiam sumta, esse possit. Loquitur itaq; Apostolus ad Gal. 4. & Rom. 10. de ordine conversionis, in quo Sp. S. & causa efficiens est, & effectus. EFFICIENS CAUSA: in quantum hominem audientem aggreditur, & in eo operatur, per auditum verbi, fidem, quo respectu Sp. S. prior est fide. 1. Cor. 12. 6. & II. EFFECTVS est Sp. S. quando per fidem accensam incipit habitare in cordib. hominum speciali & gratiosa præsentia. Et sic in conversione alia est ratio initii; alia incrementi, quo Sp. S. qui antea quasi foràs operatus fuit, internè habitans, operatur etiam post regenerationem, & opus, quod coepit, perficit usq; in diem Jesu Christi. Phil. .6.

257 Jesuitarum, & Synergistarum erroribus his rejectis; aliorum etiam furores, qui omnem LIBERI ARBITRII facultatē, etiam in reb. mundanis, & politicis simpliciter tollunt, detegendi, & eliminandi sunt. Quippe Calviniani, non modò in rebus spiritualibus LIBERVM ARBITRIVM rectè nobiscum negant; sed insuper etiam, in rebus naturæ humanæ subjectis, civilibus, & politicis, omnem ARBITRII HVMANI LIBERTATEM remouent, quod nos minimè statuimus.

VII. QVÆSTIO.

AN HOMO IN EXTERNIS REBUS HABEAT ALIQVAM LIBERTATEM ARBITRII.

258. Status Quæstionis. An homo peccator, in externa iustitia, & honestate præstanda, & ad externa peccata fugienda, habe-

habeat liberam facultatem. Calviniani negant. Orthodoxæ Ecclesiæ Lutheranæ affirmant. Calvinianorum error hic est Stoicus, quem ita Augustinus lib. 5. de Civitate DEI, cap. 8. & 9. per censet. *Seriem causarum Stoici finxerunt esse immutabilem, ratione cujus omnia etiam peccata fiant, & eveniant immutabiliter.*

259. Esse hanc sententiam Calvinianorum breviter deducimus. Calvinus lib. 1. Inst. c. 16. sect. 6. *Industrie hominum non est adscribendum, quod alii jacent in sordibus, alii ad honores emergunt.* Et sect. 8. *Qua ratione contingit, quæ ex hominum arbitrio, excludenda. Item sect. 9. Mercatoris aberrantis à comitatu suo in sylva, & à latronibus occisi Mors, non tantum oculis DEI prævisâ; sed decreto etiam stabilita fuit.* Item lib. 2. c. 1. sect. 1. putat falsissimè dictum: *Sapè malus se voluerit, in bonum mutatur: & qui bonus sua malitia in malum.* Item eiusd. lib. & cap. sect. 7. *Velis nolis; animum tuum à motione potius DEI, quàm ab electionis tue libertate, in actionibus civilibus pendere, experientia testatur.*

260. Falsam hanc esse Calvinii sententiam, probamus ita. I. Argumentum. In quocunque homine sunt cogitationes accusantes, & defendentes, ibi libertas quædam. Atqui in conscientia gentium sunt cogitationes accusantes se invicem, & defendentes. Rom. 2. 15. E. in conscientia gentium, quæ communis est omnibus hominibus naturaliter sanis, est libertas quædam. Propositio firma: *Quia ubi utrumq; oppositorum, & potentia rationalis æqualiter circa utrunque versatur, ibi libertas.*

261. II. Quicumque ex naturæ viribus possunt facere, & non facere quædam, quæ legis sunt, ii quoq; habent ad ea liberam potestatem. At omnes homines infideles possunt naturaliter quædam facere, quæ legis sunt, & quædam non facere. E. omnes homines infideles habent libertatē aliquā, nimirum ad ea, quæ præstare possunt. Propositio certissima. Nā posse facere, & non facere, liberè est facultatis, sic quoq; liberè facere, & liberè non facere, arguit indubitato liberam potentiam. Assumptio est Pauli Ro. 2. 14.

Quo

Quo loco dicit, quod faciant. Et vers. 15. ACCUSATIO ET DEFENSIO propriae conscientiae satis notat, quod non faciant. Hoc enim si abesset, nulla nec accusatio, nec defensio cogitationum foret.

262. Huc refer dicta 2. Cor. 4. v. 2. & Psal. 50. v. 15. *Dicit impio DEVS, cur tu recitas statuta mea, & assumis testamentum meum per os tuum. Tu verò odisti disciplinam, &c.* Act. 17. 20. Ubi Athenienses externum praestant; imò cupiunt scire, sed saltem ut nova quaedam. Marc. 6. 20. dicitur Herodes ἡδέως, hoc est, cum voluptate, audivisse Baptistam, & MULTA FECISSE audito Joanne. Sic etiam fides historica est in nostra potestate. Hæ actiones omnes ad externam disciplinam reducuntur.

263. III. Omnis ZELVS fit ex potestate libera (nam coactus motus non est zelus.) At infideles habent ZELVM religionis. Rom. 10. v. 2. *Israelite emulationem quidem DEI habent, sed non secundum scientiam.* 1. Cor. 12. v. 2. Rom. 9. 31. *Israel sectando legem justitiae, &c.* Sectari autem est cum jucunditate quærere legem justitiæ: is qui cogitur, vel qui non liberè quærit, non quærit cum voluptate. Iccirco non potest dici hominem talem sectari legem. Ergò infideles, qui libertatem non habent internæ legis, habent indubitato libertatem in quibusdam externis; atq; in justitia externa investiganda liberè agunt.

264. Accedimus ad argumenta adversariorum, & quidem Calvinus in Instit. lib. 1. c. 16. sect. 6. has habet rationes. I Ex Scripturæ testimoniis ex Psal. 146. 9. Psal. 115. 3. Matth. 10. 29. ita colligit. *DEVS majorem gerit curam actionum humanarum, quàm avium volatus. At sine DEI voluntate nullus cadit passerculus. Ergò sine DEI voluntate nulla actio humana instituitur.*

265. Respondeo. Conclusio ita nudè sumpta, & indefinitè non est contra nos. Nam nullus unquam sanus dixit, quod præter, & absque voluntate DEI fiant hominum actiones. *In DEO enim sumus & movemur.* Act. 17. v. 17. Hoc saltem negatur, omnia

omnia fieri, speciali, & singulariter ita determinante, & decernente DEI voluntate, ut aliter fieri nequeant. Respectu huius voluntatis divinæ, approbantis, & decernentis, non simpliciter omnes hominum actiones fiunt voluntate divina. Nam alioquin, & mala vellet DEVS, quod manifestè falsum esse docet, Psalm. 5. v. 5. Quare alia ratio actionum humanarum naturalium, alia moralium. Naturales sunt à DEO, qui eas ita ordinavit ad bonum finem. Moralis itidem diversi generis. Quædam bonæ, eæque à DEO sunt tanquam auctore omnis boni. Quædam malæ sunt, eæque non à DEO, sed à mundo. 1. Johan. 2. v. 16. In actionibus itaque voluntariis iis, quæ ad malum finem tendunt, hoc semper manet: Quòd, providentia divina (de qua dicta allegata loquuntur) ut non habet pro objecto malum, sed saltem bonum; ita quatenus illæ actiones tendunt in bonum, DEVS dirigit, & etiam ipsa mala in bonum dirigit. Quatenus verò malum finem habent, & malæ sunt, DEVS ad eam non concurrat voluntate approbante; sed permittit.

266. Sit itaque argumentum tale, & erit res maximè plana: Actionum naturalium, & moralium, quæ bonæ, & à DEO sunt, maiorem DEVS curam gerit, quàm volatus avium. Atqui, quædam actiones humanæ sunt bonæ, quædam non. Ergò quarundam, quæ bonæ, maiorem curam gerit, & quarundam, quæ malæ, minorem curam gerit, nimirum eas vel dirigendo in bonum finem, vel puniendo malas.

267. II. Argumentum Calvini ex Jerem. cap. 10. 23. Scio Domine, quia non est hominis via eius: nec viri ut ambulet, & dirigat gressus suos, & Prov. 20. 24. A Domino sunt gressus viri, & quomodo disponet homo viam suam? Argumentum erit hoc: *Quicquid fit ex Domini destinatione, illud non est ex libertate hominis. Atqui omnes viae, & gressus viri sunt ex Domini destinatione. Ergò nulla via & gressus in libera potestate hominis.*

268. Respondeo ex Salomone Prov. 16. 1. Hominis est cor præparare, & Domini gubernare linguam, seu ut vox Hebræa

N

impor-

Disputatio Theologica

importat (מְעַרְבִי) dispositiones. Est enim à Rad. עָרַב ordinavit, disposuit, & erit versio sana: Hominis dispositiones cordis. Deinde in altero membro habetur vox Hebræa עָנָה responsio à radice עָנָה respondit, exaudivit, & erit: à Domino responsio linguæ. Est itaque genuinus horum verborum sensus hic: Homo quidem in corde proponit, quid loqui velit: DE V S autem regit linguã, ut salutaria loquatur. Quia ppter via, qua talis, & qua gressus est, omninò est in potestate hominis, qua verò certũ habet eventum, & salutarem, est à Domino, & non ab homine. Hoc ipsum volunt verba vers. 9. hujus ipsius cap. Cor hominis cogitabit viam suam, & Dominus parabit (יָרִי) firmabit) gressum suum.

269. Jam progrediamur ad ipsum argumentum, cuius propositionem limitamus hoc modo: Quicquid fit, immutabiliter destinante, & determinante Domino, illud respectu eius, non est in potestate libera hominis. Atqui ipsi fines sunt certi, & actionum eventus, fit ex destinatione Domini. E. Finis, & actionum eventus non est in libera potestate hominis. Quod concedimus, & non impugnat nos. Limitatio & distinctio inter actionem, & eventum actionis, est ex dictis notissima, nec ab ipso loco Prov. 20. 24. aliena. Nam ira habent fontes: *A Domino gressus viri, & homo quomodo (יָרִי) intelliget viam suam*, hoc est: quomodo cognoscet eventum suarum actionum? Nam actiones cognitae esse, quales sunt, notissimum est: non verò, qua talem finem habent.

270. Dicitur ex Jeremia 10. cap. v. 23. quod attinet. Loquitur Propheta de viis spiritualibus, quod satis ipse contextus totus evincit, & vel ex sequenti versiculo patescit. Inquit n. Propheta: *Corripe me Domine, veruntamen in iudicio, non in ira tua.* Et intendit expressè Propheta commotionis finem magnæ, cuius meminit in versu præcedenti 22. *Commotio magna de terra Aquilonis, ut ponat civitates Juda solitudinem, & habitaculum Draconum.* Deinde, hæc est verissima hujus dicti interpretatio: Nullus homo potest effugere pœnam divinam: Quare orat Propheta, ne corripiatur à Domino in furore eius.

271. III. Ar-

271. III. Argum. Calvini: *Quicquid maximè fortuitum videri posset, & tamen fit ita ex destinatione DEI, ut dicatur traditum à Domino, illud non potest fieri ex libertate arbitrii. At etiam fortuita cades licèt maximè talis, tamen dicitur tradi homo in manus hominis occisoris. Exod. 21. 13. E. etiam in cade fortuita homo non habet liberum arbitrium.*

272. Resp. Ad Propositionem. Explicando Phrasin Hebræam: qua verba activa, non semper actionem, sed sæpiùs permissionem significant, quod ad eò omnibus notum est, ut qui vel in primo limine sanctam linguam salutârunt, non possint ignorare. Dicitur igitur DEVS, tradere, vel occurrere facere, vel objicere, vel (ut ad Hebræam radicem **מָנַן** alludamus) quorsificare, vel ubificare illum, qui occiditur, manibus occisoris, non, quòd vel illum, veluti cornibus illigatum bovem, ad macellum impellat: vel hunc occultis directionibus faciat illius lanionem. Sed quod uterque liberè facit, utrumque facere permittit DEVS, propter causas, quas ipse notas habet, licèt videat, eadem inde sequenturam esse. Hæc permissio libertatis (absoluta namque potentiâ impedire poterat DEVS) Idiomate Hebræicæ linguæ, dicitur Actio. Sed quòd ex eodem ipso loco evidentissimè colligatur libertas, ita probo. Qui potest insidiari, & non insidiari, is liberum habet arbitrium agendi, & non agendi. Atqui etiam occisor talis potest insidiari, & non insidiari. E. talis quoq; occisor habet liberum arbitrium. Propositio certa: Nam insidiari est velle occidere, & non insidiari, non velle occidere. Assumptio probatur Exod. 21. 13. *Qui percusserit hominem volens, morte moriatur, & qui non insidiatus est, non morte moriatur.*

273. Præter hæc argumenta Calvini ex Scripturis desumpta: habent Calviniani, & alias, quas putant, speciosas rationes. Et quædam primarium ex infallibilitate præscientiæ divinæ depromptum argumentum hoc est. *Quæ præscit DEVS, ea necessariò fiunt. At omnia præscit DEVS infallibili præscientia. E. omnia futura necessariò fiunt. Propositio vera est. Quia præscientia divina est infallibilis, & non aliter, ut præscit, fieri possunt futura.*

274. Respondeo ad propositionem, in qua duplex committitur error: 1. in vocula PRÆSCIENTIÆ: 2. in vocula NECESSARIÒ. Primum quantum concernit: PRÆSCIENTIA alia est nuda, & absque definitione voluntatis: alia cum approbante, & decernente voluntate. Priori modo sumpta, non est vera propositio. Nam DEVS sua præscientia simplici, scit multa, quæ certo ordine dato, futura fuissent: eodem mutato nunquam futura sunt. Verbigratiā: Scivit JEHOVA viros Ceilæ tradituros Davidem Regem in manus Saulis, quod tamen nunquam factum est. Sic enim legimus 1. Sam. 23. v. 12. Interrogat David: *Tradent me viri Ceile, & viros, qui sunt mecum, in manus Saulis?* (Si scilicet ibi mansero:) & dixit Dominus: *Tradent.* Hoc præscivit JEHOVA certò, & tamen nunquam factum est. Modo posteriori sumpta præscientia, pro scientia cum voluntate approbante: Stabit quidem propositio: sed falsa erit assumptio, ex eodem allato exemplo. Unde sic inverto totum Syllogismum. Quæ præscit DEVS scientiā cum voluntate approbante futura, ea necessariò fiunt. Atqui non omnia, quæ præscit DEVS, scit scientia cum voluntate approbante, ut patet ex dicto loco 1. Sam. 23. 12. E. non omnia, quæ præscit DEVS, necessariò fiunt.

275. Quia palmarium hoc est Calvinianorum argumentum, prolixiores hinc erimus. In propositionis prædicato error latet in vocula NECESSARIÒ. Alia necessitas absoluta; alia ex *imobèat*, ut & alia consequentis, alia consequentiæ: Has distinctiones necessitatis notat, & commendat ipse Calvinus in Instit. lib. 1. cap. 16. sect. ult. Necessitas absoluta est, talis per se, semper, & aliter esse non admittit. Necessitas ex hypothese non est per se necessitas, sed saltem per accidens, per conditionem præsuppositam: hinc dicitur etiam CONDITIONATA. Nam remota conditione Necessarium hypotheticum est contingens (ut supra annotavimus) idque per se, ex sua natura.

276. Quàm malè igitur, Necessarium hypotheticum  
oppo-

opponitur contingenti, tam malè, ex eo colligitur necessarium, absolutum, & per se. Consimilis ratio est necessitatis consequentiæ, & consequentis. Nam non ideò eveniunt infallibiliter necessariò futura; quia præscit DEVS, sed quia futura sunt, certò præscit DEVS; quo ordine dato tandem etiam ea, quæ ex se maximè contingentia sunt, necessariò futura dici possunt: Positâ nimirum necessitate consequentiæ, & occasione, seu conditione infallibilis præscientiæ divinæ, &c.

278. Ne quicquam, in hac gravissima argumentatione, temerè prætermittamus, nobilissimum illud Augustini argumentum, ad illustrationem nostræ responsionis repetere juvabit, quod legimus de lib. arb. lib. 3. c. 3. & 4. *Præscientia DEI rebus imponit necessitatem, vel, quia præscientia est, vel, quia DEI præscientia est. Atqui non imponit rebus futuris necessitatem, nec quia præscientia est: nec quia DEI præscientia est. E. non imponit rebus futuris necessitatem.*

279. Assumptio probatur ex utroque membro. 1. PRÆSCIENTIA, qua talis in genere, dicitur & divina, & humana. Atqui de humana non potest dici, quod possit imponere rebus futuris necessitatem. E. nec de præscientia, qua genus est, dici poterit, quod imponat necessitatem. 2. Causa adæquata, & perpetuò talis, semper suum habet adæquatum effectum. Atqui præscientia DEI, qua DEI est, non imponit rebus futuris, seu actionibus divinis necessitatem. E. Præscientia DEI, qua DEI, non est causa perpetua necessitatis rerum futurarum. Assumptio confirmatur. Nam DEVS est agens liberissimum, & omninò liberissimus ab omni necessitate, & sic futuris actionibus divinis, & humanis ipsa præscientia DEI, qua DEI, minimè imponit necessitatem.

280. Calvinus lib. Inst. I. cap. 16. sect. 8. sub finem hanc quoque instituit argumentationem: *Quicquid fit ex voluntate DEI ab aeterno decernente, illud non fit contingenter. At nihil fit, nisi ab aeterno DEO ordinante. E. nihil fit contingenter.* Propositionem.

confirmat. Quia DEI voluntas est summa, & prima omnium rerum causa.

281. Respondeo ad probationem Propositionis: DEI voluntas est causa rerum existentium, quatenus existunt, & sunt creaturæ, & conservantur, & sic omnes res bonæ sunt Gen. 1. ult. v. Præ autem concupiscentiæ sunt, non à patre, sed à mundo. 1. Joh. 2. 16. Ad assumptionis prædicatum, distinguo inter voluntatem approbantem, & quam vulgò vocant, permittentem, rectius, permissionem dixeris. Et sic negamus omnia fieri, ex voluntate decernente. Hanc distinctionem videt Calvin. lib. 2. Inst. c. 16. sect. 8. inferendo: *Certè DEVM non fingit Augustinus in otiosa specula cessantem, dum aliquid vult permittere, ubi actualis voluntas intercedit.* Verùm, temerè negat divinæ voluntatis promissionem Calvinus ex eo, quòd in permittente voluntate, etiam ipsa actualis voluntas DEI concurrat, & intercedat. Nam actualis DEI voluntas neutiquam referèda est ad ipsum malum, quòd malum DEVS abominatur, & nequaquam vult voluntate approbante, teste Scriptura multis in locis: sed quatenus in actione aliquid boni naturalis est, in quo malum ipsum hæret (adeò usq; enim deficiens est peccatum, ut non nisi in bono esse queat) concurrat.

282. Quamobrem liquidò constat, non semper ad voluntatem absolutam, & absolutè decernentem, sed quoq; ad ordinatam in rebus creatis, res futuras examinandas esse. Nam DEVS est, qui omnes res dirigit ad suam voluntatem, mobiles secundum motum, immobiles secundum stabilitatem, sensibiles secundum appetitum, & rationales secundum voluntatem. Et paulò post: DEVS ille, qui nunc inditum naturæ cursum videt, ut res omnes videt, ita & singulas secundum insitam voluntatem operantis videt. August. lib. 3. de lib. arb. c. 3.

283. Denique, rectissimè sese expedivisset Calvinus, & etiamnum hodie feliciter ex eiusmodi tritico se expedirent omnes eius sequaces, & duræ cervicis discipuli, si intelligere, vel credere discerent; DEVM propriè loquendo, nihil præscire aut prævidere, ut-

pote

pote cui nihil præteritum aut futurum est; sed in æterno Nōv habitanti, omnes illi res, omnium æternitatum semper sunt præsententes. Quo fundamento ex Scripturis sacris posito, facillè quivis intelligit, cum vel Scriptura, vel ipsi, DEVM aliquid præscire dicimus, id humanitùs dictum esse: Et hæctenus omnes Calvinianorum Ratiocinationes, quas ex præscientia DEI, ad stabiliendum Stoicam rerum necessitatem, connectit, oppidò dissilire, atque in tenues dis parere auras.

VIII. QVÆSTIO.

AN ASSERERE HOMINEM IN EXTERNIS HABERE LIBERTATEM, ET NON NECES-  
sariò, vel turpiter vivere; vel honestè; sit Pe-  
lagianum.?

284. Daniel Tossanus Calvinista, quem adeò usque Stoica necessitas dementavit, non erubescit nostram orthodoxam hanc fidem, Pelagiani simi insimulare. Insignem autè esse calumniam, ex præcedentibus, quàm notissimum esse poterit. Quippe luculentissimè, cum Scriptura, omnes omninò vires humanæ voluntati detraximus, & totum opus conversionis, per omnia, unicè, soli DEO attribuimus; hancq; nostram sententiam contra Pontificios, & Synergistas, esse verissimam, nos obtinuisse credimus. Quod ut magis innotescat, Tossani calumniam, & accusationem, esse vanam, & mendacissimã, sequens Syllogism⁹ probabit.

185. Quicumq; nihil tribuit viribus humanis in spiritualibus actionibus, & tantùm, & unicè, omnia, uni, & soli gratiæ divinæ in opere conversionis assignat, is in articulo de lib. arbit. non est Pelagianus. Atqui nostra fides orthodoxa, & Lutherana nihil omninò tribuit humanis virib. in actionib. spiritualibus, & totum opus conversionis salutaris, uni, & soli gratiæ divinæ ascribit. E. nostra fides non est in hoc articulo Pelagiana.

286. Propositio certa est. Nam Pelagius totum fermè opus

fermè opus tribuit viribus humanis, præparationem, dispositionem, & cooperationem; nec uni soli DEO unicè assignat opera spiritualia, seu opus conversionis. Assumptio ex præcedentibus manifestissima est. Hinc Disputatio cum Pontificiis, & Jesuitis, qui opus gratiæ adjectivum vocant; qui cooperationem, in actu conversionis statuunt. Et pugna inter nos, & Synergistas, qui equidem viribus humanis nihil tribuunt in principio faciendo, initio tamen à Spiritu Sancto facto, statuunt, hominem habere quasdam vires (licet imbecilles) se præparandi, & consentiendi Spiritui Sancto ex suis viribus.

287. Jam videamus argumentationem Tossani. *Quicumque habet in suis viribus causam efficientem conversionis, is etiam habet effectum. At homo habet in suis viribus auditum Verbi DEI, qui est causa efficiens fidei. E. homo etiam habet in suis viribus fidem: & potest se applicare ad gratiam, quod Pelagianum.* Ne quid desit calumniarum: addit in eadem sua disputatione, nostras Ecclesias affirmare, *fidem dari propter auditum verbi, tanquam causam meritoriam.* th. 132.

288. Respondeo ad propositionem, eam esse particularem, nisi de causa efficiente per se accipiatur. Nam causa, & effectus suum habent ordinem inter sese, & quicumque habet in viribus suis causam eam, seu tale opus, quod per se est causa alicuius effectus (& in tantum etiam causa hujus effectus adæquata est, in quantum est in viribus hujus, qui opus præstat) is etiam in suis viribus habet effectum. Verbi gratia: Homo potest loqui, & alteri homini enarrare historiam, quæ enarratio, est causa efficiens, ut sciat alter relationem historicam: scientia, enarrationis effectus est, & fluit per se ex enarratione: homo quoque, qui enarrat, habet hanc enarrationem in suis viribus, & quoque eo ordine, quo narratio est in viribus hominis, est causa scientiæ in altero homine.

289. Dispar autem & diversissima ratio est, in nostra hac materia. Nam homo, in quantum habet in sua potestate, & in suis

suīs viribus, auditum verbi, est ille auditus actio naturalis, & non per se causa fidei, aliās enim fides esset naturale quiddam. Quemadmodum aspersio aquæ, in quantum est actio humana, ab homine facta, non est per se causa regenerationis, hominis baptizati. Verumenimverò ex institutione divina, & singulari ordinatione, habet effectum regenerationem, sic etiam auditus verbi, non quā hominis opus, sed quā singulari gratia DE I ita ordinatus est, est causa fidei.

290. Quamobrem, quæ accuratè distincta sunt, non sunt confundenda, & ego potius ita Syllogismum contra Tossani calumniam inverto. Qui habet in sua potestate opus, quod alio ordine est causa fidei, quā qua relatione est in potestate hominis, is non habet in sua potestate fidem, seu effectum hunc operis. Atqui non renati habent in sua potestate auditum verbi, qui alio respectu (nimirum ex ordinatione DE I) quā, quo est in potestate hominis, est causa fidei. E. (ex sententia nostra) non renati, non habent in sua potestate fidem, seu præparationem.

291. Propositio est certa. Assumptio quoque certissima est ex experientia. Nam omnes homines ex iisdem naturalibus viribus audiunt, & cogitant. Atqui non omnes homines convertuntur. E. ut auditus est ex viribus naturæ, ita conversio minimè erit, sed alio ordine, ex institutione divina.

292. Deinde, auditus externus nihil ex se confert ad fidem, quod probant dicta Rom. 9. 31. Rom. 11. 8. Deut. 29. 4. Matt. 13. 14. Quicquid verò ordinis, & virtutis habet ad fidem, id totum habet ex ordinatione divina, & singulari præveniente gratia. Falsò itaque nobis affingitur Pelagianismus. Falsò & calumniosè de nobis dicitur, quòd causam meritoriam statuamus auditum verbi DE I, & causam efficientem fidei; sed dicimus esse medium, divinitus ordinatum, per quod DE O placuerit, ut & per alia media (usum Sacramentorum) nostram conversionem operari, quod edocti ex sacris literis semper affirmabimus, juxta testimonia Matth. 28. 19. Marc. 16. 15. Joan. 17. 20. Rom. 10. 17. Gal. 3. 2.

O

293. Ad-

293. Addimus, pro veritatis illustratione, & exterminandâ atroci calumnia, etiam hanc rationem; qua totum hunc secundû hominis statum claudimus: Sine *Christo nulla potest inchoari interior obedientia*, Joh. 15. 5. *Non renati sunt sine Christo*. Eph. 2. 19. E. non renati non possunt inchoare novam obedientiam. Et sic nullam, nullam omninò, quæ vel fingi possit, præparationem, vel dispositionem viribus humanis attribuimus, ad spirituales actiones, & conversionem salutarem.

## TERTIVS STATVS,

*Humana natura restorationis.*

294. Hactenus voluntatem hominis consideravimus nihil operantem, in statu peccati: spiritualiter mortuum hominem, & servum peccati, cum omnibus viribus suis ad opera spiritualia, DEO grata, præstanda & efficienda ineptissimum. Jam progressum facturi, ad hominem, per Christum liberatum, & Spiritu S. illuminatum, breviter ordinem, quo ex homine servo liberum, ex peccatore justum; ex infideli fidelem efficere, gratiæ divinæ placuerit, explicabimus. Loquimur autem de modo convertendi ordinariò, qui fit non immediatè, sed per certa media, per Verbum, & Sacramenta.

295. Misericors DEVS pater cœlestis, ineffabili bonitate sua homines invitati. & vocat ad auditum verbi, ut: Hic est filius meus dilectus, hunc audite, Matt. 17. 5. 2. Homo debet, & potest externam præstare obedientiam, & pædagogiam; accedere ad concionem, audire verbum DEI, de verbo cogitare, potest etiam fidem dare externam, & historicam: hoc enim est studium discendi carnale, quamvis valdè debilitatum. Quæ omnia per se, prout ab homine fiunt, nihil omninò conferunt ad opus conversionis: Attamen ex ordine, & institutione divina, utilia & necessaria sunt. Rom. 10. 17. *Fides ex auditu est, auditus per verbum DEI*. Et Joh. 6. 45. *Qui audit à patre, & didicit, venit ad me*. 3. Spiritus S. per verbum DEI, iudicium in mente format, & medetur ignoran-

rantia naturali. Nam *lucerna pedibus meis, verbum tuum, & lumen semitis meis.* Psal. 119. 105. *Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua.* Psal. 119. 18. *Lex Domini perfecta est, convertens animam: sapientiam prestans parvulis.* Psalm. 19. 8. Item v. 9. *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos.*

296. Spiritus S. duritiem cordis oleo gratiæ emollit, movens, & flectens voluntatem, ut jam spontè velit, quod antea noluit. Nam *nemo venit ad me, nisi pater traxerit eum,* Joh. 8. v. 44. Trahit autem pater, hoc modo, ut ex concionibus legis, & præcepta, & iram DEI homo cognoscat, & veros terrores in corde sentiat, ut Actor. 2. v. 37. *His auditis compuncti sunt corde, & dixerunt, quid faciemus.* 5. In hac contritione, & terrore DEVS erigit hominem, per annunciationem Evangelii, de gratuita peccatorum remissione; accendit scintillulam fidei, quæ remissionem propter Christum amplectitur: hanc fidem confirmat, & obsignat Sacramentis. Actor. 2. v. 38. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisq; vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum.* 6. Intus regenerat, & habitare incipit Spiritus Sanctus. Actor. 2. vers. 39. *Accipietis donum Spiritus Sancti.*

297. Hic conversionis processus, etsi pro liberrima Sp. S. voluntate, possit esse alius, & alius; ordinarius tamen hic, ex patefactione divina nobis monstratus, & ex exemplis extractus, nobis sufficiat. Ex quo elucet, quænam veræ conversionis causæ operantes assignari debeant, & possint.

298. Sanè non voluntas humana; Quippe hæc nullo modo ad causam operantem reduci poterit eò, quod sit subjectum ipsum recipiens conversionem, & dicto modo convertatur. Atqui nullum subjectum recipiens operatur, seu est causa operans, ad sui immutationem; Est n. causa materialis, in qua materia fit mutatio. Ergo voluntas humana in conversione sui non est causa operans. 2. Nullum mortuum est causa operans in resurrectione sui. Atqui voluntas spiritualiter est mortua. E. voluntas non est

causa operans in resurrectione sui ad vitam spiritualem. Assumptio certa. Ephes. 2. 5. Col. 2. 13. 3. Subjectum contumax non est causa operans, eius qualitatis, cui resistit, sic lapis resistens, & difficulter recipiens sectionem, in ea, non est causa operans, sed tantum patiens, & recipiens. Atqui voluntas est contumax, & resistit regenerationi. Rom. 2. 5. *Secundum duritiam, & impenitentem cor thesaurizas tibi iram in die iræ.* Ezech. 36. 26. Esa. 48. 4. E. Voluntas in conversione sui non est causa operans, sed tantum recipiens actionem Spiritus Sancti.

299. Vera causa, est SPIRITUS SANCTUS, qui *illuminat & aperit oculos*, Act. 26. 18. Job. 12. 22. *aperit cor.* Act. 16. 14. Luc. 1. 17. Esa. 57. 15. *Purificat cor.* Act. 15. 9. *Creat cor mundum.* Psal. 51. 12. Ezech. 11. 19. & cap. 36. 26. *vivificat.* Ephes. 4. 23. *emollit.* 2. Paralip. 34. 27. *circumcidit.* Deut. 30. 6. *excitat à mortuis.* Eph. 5. 14. Unde dicitur *Spiritus regenerationis.* Tit. 3. 5. In summa. *Omne opus sanctum ab eo.* Phil. 1. 29. Phil. 2. 13. Act. 1. 3. 1. 2. Tim. 2. 26. Johan. 6. 29. Eph. 2. 8. Deniq; testimonium habemus clarissimum, Eph. 2. 10. *Ipsius factura sumus creati in Christo Jesu.* Causa ORGANICA est Verbum DEI prædicatum, & usus Sacramentorum: *Verbum auditum.* Joh. 6. 45. Rom. 10. 17. *Sacramenta.* Matth. 28. 19. Marc. 16. 16. Act. 2. 38. &c.

300. Ipsum conversionis ordinem, & veras causas didicimus. Discamus porrò qualis jam creatura factus sit, homo regeneratus. Is quippe aliam omninò nactus est, & à SPIRITU SANCTO accepit voluntatem, num amplius in rebus, & operibus pietatis simpliciter impotentem? Minimè. Nam efficax Spiritus Sancti organum factum est, & Spiritui Sancto cooperari potest. Rom. 8. 14. *Quicumq; Spiritu DEI aguntur, hi sunt filii DEI.* 1. Cor. 3. 9. *DEI sumus cooperatores.* 2. Cor. 3. 5. Eph. 2. 10. 2. Pet. 1. 3.

301. Proinde longè alia, & diversissima est ratio hominis non credentis. Alia item hominis, jam per Spiritum Sanctum illuminati, & reparati, ut Augustinus lib. 3. Hypog. docet. Actionum consimiliter alia, & distincta est conditio, quæ fiunt à con-  
ver-

vertendis: & alia, quæ fiunt à conversis hominibus. Renatorum namq; voluntas liberata est à servitute peccati per Spiritum Sanctum, nec amplius mortua, qualis per, & ex se erat. Idcirco & cooperari potest, & concurrere ad bonam actionem, tanquam causa operans, debet, attestante Augustino lib. de correct. & gratia, cap. 2. *Intelligent (inquit) si filii DEI sunt, spiritu DEI se agi; ut quod agendum est, agant, & cum egerint, illi, à quo aguntur gratias agant. Aguntur enim ut agant, non ut ipsi nihil agant. Voluntas nostra requiritur ad hoc, ut bene operemur, sed illam non habemus ex nostris viribus, sed DEVS operatur in nobis, ut velimus.*

302. Efficaciam hanc, & operandi divinum, datam à DEO, Phil. 1. 29. rectè intelligamus oportet: nec ea reducenda erit ad vires, quæ ex CARNALI, & prima generatione hominis proflunt; sed ad vires, quæ ex nativitate secunda, & generatione SPIRITUALI, nimirum CONVERSIONE salutari, promanant. Quod docet Apostolus Paulus 1. Cor. 15. 10. verbis his maxime claris. *Ego abundantius laboravi. Non ego autem, sed GRATIA DEI, quæ mihi adest.* Voluntas itaque, & homo ex novis viribus, & per novas, quas in conversione accepit, facultates spirituales, cooperatur Spiritui Sancto inhabitanti, in operibus bonis efficiendis.

303. Habet itaque homo conversus liberum arbitrium in spiritualibus. Quoniam mens, & voluntas hominis, per gratiam reformata, jam legi DEI condelectatur, ac novis conceptis motibus in timore erga DEVM, & charitate erga proximum, contra carnem, vigore, & virtute gratiæ donatæ, (multa tamen, & magna cum infirmitate,) pugnare incipit. Et sic in hac inchoata restitutione bonitatis, & justitiæ, concurrat etiam adhuc lucta cum carne; pugna cum dubitatione; & diffidentia cum assensu.

304. Luctam hanc, & imbecillitatem hominum renatorum, describunt nobis Scripturæ passim. *Velle adjacet mihi (conqueritur Apostolus) perficere autem bonum non invenio. Non enim quod volo bonum, hoc facio, sed quod nolo malum, hoc ago.* Conde-

lector legi DEI, secundum interiorem hominem. Rom. 7. 18. Item Caro concupiscit aduersus Spiritum. Spiritus autem aduersus carnem: hæc sibi invicem aduersantur, ut non, quæcumq; vultis, illa faciatis. Gal. 5. 17. Unde idem Apostolus has nostras vires novi hominis, & regeneratæ voluntatis de die in diem incrementa sumere affirmat. 2. Cor. 4. v. 16. *Sed licet is, qui foris est noster homo corrumpatur, tamen is, qui intus est, renovatur de die in diem.* Et 2. Corinth. 5. v. 17. *Si quis ergo in Christo NOVA CREATURA, vetera transferunt, ecce facta sunt omnia nova. Et virtus in infirmitate perficitur.* 2. Cor. 12. 9.

305. His omnibus prædictis de ordine conversionis, & mediis destinatis sese opponunt variis modis. I. Enthusiastæ, qui DEVM sine omnibus mediis, auditu verbi, & usu Sacramentorū, hominem ad se trahere, illuminare, iustificare, & salvare fingunt. Quod quàm crassum, & impium sit figmentum, tam clarissimis Scripturæ testimoniis, quàm ipsa experientia refutatam, omnibus ex præcedentibus obvium est. Joh. 6. 45. *Omnes à DEO edocti, Omnis, qui audiverit à patre, &c.* Matt. 28. 19. *Euntes, docete omnes gentes, & baptizate eos, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Marc. 16. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.* Act. 2. 38. Act. 3. v. 19. *& infinita exempla,* Act. 16. v. 14. Rom. 1. v. 16.

306. II. Manichei, vel hodiè Flaciani, qui in conversione ipsam substantiã hominis aboleri, & ita novum hominem creari dicunt, ut veteris hominis substantia, cum primis verò anima rationalis aboleatur, & nova animæ essentia ex nihilo creetur. Matth. Flac. part. 2. clav. script. de peccato origin. Hic error sat crassus est. Nam ipsa humana natura per generationem spiritualem, ex aqua & spiritu, fit spiritualis quædam nova creatura in Christo. 2. Cor. 5. 17. Fitq; novus homo, non quoad ipsam substantiam, sed quoad qualitates IN JUSTITIA, & SANCTITATE VERITATIS. Eph. 4. 21 *Vos didicistis Christum, si tamen illum audistis, & in ipso edocti estis, sicut est VERITAS in JESU, nempe deponere nos, se-*  
CUM-

secundum pristinam conversationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum DESIDERIA erroris. Non dicitur secundum substantiam, sed inquit, secundum DESIDERIA erroris. Sic DEVS regenerat hominem, per aquam & spiritum, Joh. 3. 5. in qua regeneratione, non alium essentiam hominem, seu substantiam humanam creat; sed perditum & corruptum hominem restaurat, & renovat, unde & *Sp. S. dicitur Spiritus ADOPTIONIS*, Ro. 8. 15. *Qui reddit testimonium Spiritui nostro, quod sumus filii DEI. Et homo SPIRITUALIS dicitur*, I. Cor. 2. v. 15. *dicitur homo DEI*, I. Tim. 6. 11. 2. Tim. 3. 7. &c.

307. III. II. quibus horrida placent locutiones. Hominis voluntas IN conversione, & POST conversionem Spiritui Sancto repugnat, & Spiritus Sanctus datur repugnantibus. Hæc omnia cruda, & impia sunt enunciata. Quippe Spiritus Sancti in conversione salutari, opus hoc est, ita *immutare corda* Job. 12. 24. *inclinare*. 2. Reg. 19. 14. *auferre cor lapideum*. Ezech. 36. 26. & *emollire*. 2. Paral. 34. 27. *regenerare in spem vivam*. 1. Petr. 1. v. 3. ut ex nolente fiat volens, & sic in Scripturis exprimitur creatio novi cordis, Phil. 2. v. 13. Gal. 5. 24. Act. 15. 19.

308. I V. Pontificii, qui somniant habitualem, & infirmam gratiam, talem, qua homo in hoc statu restorationis perfecte legem DEI implere possit. Verum non sine insigni corruptela sanæ doctrinæ, de justitia imputata nobis, propter Christum, quæ non est nostra, & inhærens, sed est Christi, de qua ita Apostolus edisserit. Phil. 3. vers. 9. *Inveniar in Christo, non habens meam justitiam, quæ ex lege est, sed eam, quæ ex fide est*. Et addit vers. 12. *Non quod perfectus sim*. Confer cum hoc loco illum, qui extat Roman. 7. vers. 14. *Lex spiritualis, ego carnalis sum, venundatus sub peccato, &c.* Ex quo indubitatò colligitur, quod renati in hac vita legem perfecte, & ita, ut impleri debebat, nequaquam implere possint: sed saltem gaudeant Justitiâ Christi aliena, nobis ex gratia imputatâ. Adde & hoc.

Quic-

Quicquid aliunde imputatur, id non est Qualitas habitualis. Sed iustitia Christi imputatur. Ergò non est Qualitas habitualis. Assumptio probatur ex dicto Rom. 4. v. 6. & seq.

309. Et hac ratione, quid de homine renato, quomodo ordinariè regeneretur, quantisq; viribus ex gratiæ dono instructus, & vestitus sit, inquisivimus; nempe, licet ex suis viribus naturalibus, nihil possit, in operibus merè spiritualibus, tamen ex viribus novæ voluntatis, & gratiæ donis, possit omninò Spiritui Sancto, efficaciter cooperari, in operibus pietatis: quæ opera omnia, non tamen ad eam, & ad tantam ascendunt perfectionem internam, quantam interna lex spiritualis requirit. Manet enim VETUS Adam, & CARO, quod satis abundè liquet ex confessione Paulina Rom. 7. 14. & v. 22. *Cōdelector legi DEI secundum interiorem hominem. Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati.* Item v. ult. *Ego ipse mente servio legi DEI: CARNE autem legi peccati.*

310. Claudimus itaque statum hunc tertium restaurationis, & inchoatæ perfectionis humanæ, præclaro Bernhardi pronunciato. *Renati etiam faciles sumus ad seducendum, debiles ad operandum, & fragiles ad resistendum: si discernere volumus inter bonum & malum, decipimur: si tentamus facere bonum, deficimus: si conamur resistere malo, dejicimur & superamur, nisi itentidem ausit gratia DEI, quâ stabiliamur.* Sermone de adventu Domini.

#### STATUS QUARTVS,

### *Hominis post resurrectionem futurus gloriose perfectionis.*

311. Homo regeneratus, quando in inchoata (de qua diximus) iustitia perseverat: DEVS S.S. bonum illud opus adoptionis, & regenerationis, seu sanctificationis, quod in renato cœpit, perficiet usque in diem Jesu Christi. Phil. 1. 6. ad complementum renovationis, sanctificationis, & perfectionis perveniet homo  
libe-

Liberatus à corpore mortis: per mortem temporalem, deponet omnes reliquias carnis: spiritualis & novus homo, sibi totus relictus, insignia habebit virtutum dona: & quidem maximè perfecta erit imago DEI, quæ est in justitia, & sanctitate veritatis, ita confirmata, ut ipsum quoq; LIBERVM ARBITRIVM, in bono confirmatum futurum sit.

312. Accuratè autem, & per omnes circumstantias hanc futuram sanctitatis perfectionem, nec describere, nec exprimere in hac vita valemus, ob excellentiam summam gloriæ; *qualem oculus non vidit, auris non audivit, nec in cor hominis ascendit, que DEVS preparavit diligentibus ipsum*, attestante Paulo 1. Cor. 2. 9. Esa. 64. 4.

313. Qui tamen ex parte scire cupit, diligenter expendat locum Paulinum 1. Cor. 15. 51. *Ecce dico vobis mysterium, omnes immutabimur in momento, in ictu oculi mortui resurgent incorrupti. Oportet enim corruptibile hoc induere (ἀφθαρσίαν) incorruptionem: & mortale hoc induere, IMMORTALITATEM. Cum autem corruptibile induerit incorruptibilitatem; tunc fiet sermo, qui scriptus est (Osc. 13. 4.) Absorpta est mors victoriæ tua. Ubi est, mors, stimulus tuus? Ubi inferne, victoriæ tua? Stimulus mortis peccatum est, virtus verò peccati lex est. DEO autem gratias, quòd dedit nobis victoriæ per Dominum nostrum Jesum Christum.*

314. Ex his verbis minimè obscurum esse potest, hominis liberum arbitrium, tam fore confirmatum in bono, ità ut peccare non possit, quod elicio ex verbis ipsis Paulinis: hoc modo. Ubi absorpta est mors, & nullus erit amplius stimulus mortis, ibi nec peccatum erit. Atqui post resurrectionem in statu glorificationis absorpta erit mors, nullus erit stimulus mortis. 1. Cor. 15. 55. Luc. 20. 36. *Qui digni habebuntur seculo illo, ultra mori non poterunt. E. homines in statu glorificationis non amplius peccare poterunt, seu in statu eo nullum erit peccatum. Propositio certa, quia peccatum stimulus est mortis.* 1. Cor. 15. 56.

315. Addantur testimonia affinia, & similia Esa. 66. 23. *Stabit semen vestrum, & nomen vestrum, & erit Sabbathum ex Sabbatho,*

*tho, veniet omnis caro, ut adoret coram facie mea, dicit Dominus. Item Rom. 6. v. 7. Qui mortuus est, justificatus est à peccato. Item Apoc. 21. 26. Non intrabit in eam aliquid immundum, aut abominationem faciens, aut mendacium. Quæ dicta luculentissimè perfectionem voluntatis, & depositionem omnium sordium carnalium totalem, evincunt, & demonstrant.*

316. Admiranda itaq; erit mentis humanæ perfectio, quæ sublata omni tenebrarum, & cœcitatæ carnalis caligine, luce intelligentiæ, & sapientiæ sanctæ, perfectæq; fulgebit. Dan. 12. 3. Matt. 13. 43. 1. Cor. 13. 12. Col. 3. 4. 1. Pet. 1. 8. 1. Joh. 3. 2. Nec ulla virium humanarum erit *διχογνωσία*, sed mera *ἐνεργεία*, quæ liberrimè, & summa cum delectatione, ad nutum, & voluntatem divinam semper erit promptissima, & accommodatissima. *Quia non habentes homines quietem die ac nocte laudantes, & glorificantes DEVM, SANCTVS, SANCTVS, SANCTVS DOMINVS OMNIPOTENS*, depinguntur Apoc. 4. 8. & 10. c. 5. 9. c. 6. v. 9. & 10. c. 7. v. 10. & seq. c. 15. 3.

317. Ut feliciter concludamus hanc *διάσκεψιν*, addimus hanc *ἐπιόδειξιν*. Qui est *ισάγγελος*. 2. similis filio DEI. 3. imaginem Christi portat. 4. vir perfectus. 5. columna in templo DEI, non egrediens amplius foràs. 6. vivit DEO, is in bono ita confirmatus est, ut non modò non peccet unquam, sed nunquam peccare possit. Atqui homo, qui vicerit, glorificatus, post resurrectionem, erit *ισάγγελος*, Matt. 22. 30. 2. *Similis filio DEI, quem videbit, sicuti est.* 1. Joh. 3. 2. 3. *Christi cœlestis imaginem portabit.* 1. Cor. 15. 49. 4. *vir perfectus.* Eph. 4. 13. 5. *Columna in templo DEI, non egrediens amplius foràs* Apoc. 3. 12. 6. *Vivet DEO.* Luc. 20. 39. E. homo glorificatus in bono, ita confirmatus erit, ut non amplius peccare possit.

318. Propositionis veritas, ut fiat illustrior, per singula membra, quæ in fontibus Israël habentur, probatam reddimus. 1. Angeli sunt confirmati in bono. Glorificati sunt *ισάγγελοι* futuri. E. etiam glorificati erunt confirmati in bono. Propositio Matt. 22. v. 30. Luc. 20. 36.

319. 2. Glorificati erunt similes filio DE I: quoniam videbunt eum, sicuti est, 1 Joh. 3. 2. Atqui filius DE I est sanctus, & non potest peccare: hac ratione explicat Apostolus similitudinem. v. 3. *Omnis qui habet hanc spem in eo, sanctificat se, sicut & ille sanctus est.* Est itaq; similitudo sanctitatis, quæ nullum admittit peccatum. Ergò glorificati erunt sancti, ita ut non possint peccare.

320. 3. Sicut portavimus imaginem Adami, sic portabunt glorificati imaginem cœlestis, & qualis cœlestis, tales & cœlestes. 1. Cor. 15. 48. 49. At homines per imaginem Adami corrupti, & secundum eius conditionem non possunt non peccare. E. glorificati, per imaginem cœlestis non poterunt peccare.

321. 4. Vir perfectus secundum mensuram ætatis plenitudinis Christi non potest peccare. *Est enim integer in charitate,* Eph. 4. 15. *Atqui glorificati erunt perfecti secundum mensuram et ætatis plenitudinis Christi, & integri in charitate.* Eph. 4. 13. & 15. E. glorificati non poterunt peccare.

322. 5. Columna in templo DE I spiritualis non amplius egrediens foràs, non potest amplius peccare. *Nam sedet cum Christo in throno patris.* Apoc. 3. 21. *Atqui glorificatus, qui vicerit, erit talis columna in templo DEI, cui Christus dabit sedere, cum patre in throno eius.* Apoc. 3. 12. & v. 21. E. omnis glorificatus, qui vicerit, non potest amplius peccare.

323. 6. Qui non ultrà mori poterunt, & omnes tantum vivent DE O, æquales Angelis, illi nec peccare poterunt. Quia, qui vivit DE O, non peccat. Atqui omnes glorificati *ultrà mori non poterunt, & omnes vivent DEO.* Luc. 20. 36. & v. 39. E. omnes glorificati amplius peccare non poterunt.

324. Perstat ergò sancta fides, qua credimus hanc summam post resurrectionem fore iustorum glorificationem, ut nihil nisi perfectum in eis reperiatur, quodq; tam futuri sint perfecta integritate, & integra perfectione boni, ut ultrà mali, nec esse, nec fieri queant. Quæ summa felicitas! Quod summum gaudium piorum esse debet! Nec tamen, ex hac voluntatis in solo bono confirmatione, libertas negari potest, vel debet, quum voluntatis humana

hæc maxima sit futura libertas, quod liberè bonum approbare, & malum rejicere possit.

325. Et quidem species libertatis est, potentia indifferens ad utrumq; oppositorum, bonum, & malum; sed imperfectior. Nam DEVS, qui est perfectissimus, & mensura omnis perfectionis, perfectissimam habet libertatem; quæ tamen talis est, ut nunquam malum DEVS velit; sed liberrimè malum semper rejiciat, & abominetur; bonum verò elingat.

326. Hæ sunt meditationes nostræ piæ, Theologicæ, & contemplationes Scholasticæ, de virib. humanæ naturæ CONCREATIS, AMISSIS, REPARATIS, & GLORIFICATIS. Qui noster labor, ut cuivis lectori verè Christianam utilitatem præbere possit: pia mens grato animo volvat, & revolvat, quàm immensam misericordiã humana natura à creatore suo DEO benignissimo percipiat. Quippe non modò ex summa servitute homo liberatus, aliquas, & præclaras libertatis spiritualis vires, & dotes, per Christum recuperat: sed & complementum summæ immutabilitatis, & constantissimæ perfectionis in die glorioso JESU Christi vigore factæ promissionis expectare debet, & potest.

327. Ad hanc felicitatis metam, & summum bonitatis fastigium, uti aspiram⁹ omnes, ita quoq; deducat nos gratia, & dextera altissimi. *Ut ita vincamus, & sedeamus cum Christo in throno patris æterni. Apoc. 3. 23. Et nos gratias agentes, & glorificantes canamus cum omnibus sanctis non quiescentes die & nocte. SANCTVS, SANCTVS, SANCTVS Dominus DEVS Omnipotens, Apoc. 4. 8. Et erit, juxta id, quod revelatum est (Apoc. 19. 6.) Vox nostra cum turba magna, sicut vox populorum multorum, & tonitruorum magnorum dicentium. ALLELUIA: quoniam regnavit Dominus DEVS noster omnipotens.*

A M E N.

*Johan. 8. vers. 36.*

LiberatI à DoMino, Verè LiberI.

F I N I S.

